

## Distinctio IX

### Pars Prima

- “Nunc ad distinctionem personarum accedamus”, etc<sup>1</sup>. Postquam determinavit Magister de  
 5 essentia divina et essentialibus, hic determinat de personis et personalibus. Et circa hoc tria  
 facit. Primo enim agit de duabus personis, videlicet Patre et Filio, tractando de generatione Filii  
 a Patre. Secundo vero agit de Spiritu Sancto. Tertio quoque comparat personas ad invicem  
 secundum aequalitatem. Secunda distinctione 10: “Nunc post Filii aeternitatem”. Tertia  
 distinctione 19: “Nunc post coaeternitatem trium personarum”.
- 10 Circa primum duo facit. /**X 315b**/ Primo enim inquit de generatione Filii a Patre quomodo  
 sit. Secundo quomodo exprimi possit. Secunda ibi: “Hic quaeri potest cum generatio Filii a  
 Patre”. Circa primum tria facit. Primo enim inquit de generatione Filii a Patre, an sit; secundo,  
 quando sit; et tertio quid sit et quomodo. Secunda ibi: “Sed contra hoc inquit Haereticus.” Tertia  
 ibi: “Sed quaeris a me inquit Ambrosius.”
- 15 Dicit itaque primo quod ad distinctionem personarum nunc accedendum est postquam de  
 unitate divinae substantiae est tractatum. Tenendum est ergo quod Pater et Filius et Spiritus  
 Sanctus sunt unus Deus, nec tamen Pater est Filius, aut e converso, pro eo quod genitus est a  
 Patre Filius, et /**Vb 166rb**/ ideo est alius; nec ante fuit Pater quam Filius: tres namque personae  
 sunt mutuo coaeternae.
- 20 Postmodum ibi: “Sed contra hoc inquit Haereticus.” Magister inquit quando generatio Filii  
 sit ostendendo quod sit genitus ab aeterno. Et circa hoc /**X 316a**/ facit quatuor. Primo enim ponit  
 argumentum Haeretici contra Filii coaeternitatem, dicens quod haereticus Arrius probat quod  
 Filius non sit aeternus, quia omne quod natum /**Br 143ra**/ est, principium habet, ergo nullum  
 natum potest esse sine principio et ab aeterno. Et iterum omne quod natum est, aliquando non  
 25 fuit: erat enim tempus, quando non erat, quia quod est, generari non potest. Videtur igitur quod  
 Filius non sit Patri coaeternus.
- Secundo ibi: “Qui<sup>2</sup> hoc dicit.” Respondet Magister secundum Augustinum, dicens<sup>3</sup> quod  
 immo potest probari oppositum ex medio eodem. Natum enim coevum est gignenti, et erit  
 coaeternum, si generans sit aeternum, sicut patet de splendore qui coevus est igni, et esset  
 30 utique coaeternus, si ignis esset aeternus; et iterum numquam fuit Deus sine virtute et sine  
 sapientia, sed Filius est Dei virtus et Dei sapientia, secundum Apostolum, I ad Corinthios, 1.  
 Ergo numquam fuit Deus sine Filio, alioquin fuisset sine sapientia, quod dicere est dementis.
- Tertio ibi: “Eidem quoque Arrianicae quaestioni.” Respondet Magister secundum  
 Ambrosium, qui dicit quod Filius natus est, et hoc ipse catholice confitetur; sed quod esse  
 35 coeperit, tamquam impium exhorrescit. Scriptum est enim Isaiah 43: “Ante me non fuit Deus, et  
 post me non erit”, aut igitur hoc dicit Pater, et sic convincitur Filium non esse post Patrem, aut  
 hoc dicit Filius, et sic concluditur<sup>4</sup> quod Pater non fuit ante ipsum, et ita quodcumque detur  
 semper habetur intentum.
- Quarto ibi: “Item dic mihi Haeretice.” Magister invehitur ex dictis propriis contra  
 40 Haereticum, recitans verba Ambrosii in hunc modum: tu dicis, Haeretice, quod fuit aliquando  
 Deus omnipotens sine nato; quaeritur ergo a te utrum coeperit esse Pater, et fuit aliquando Deus  
 sine Patre; et<sup>5</sup> si sic, Deus fecit se Patrem, quod est erroneum; si vero semper fuit Pater, ergo  
 semper habuit Filium, quia Pater et Filius relative dicuntur, nec est Pater sine Filio aut Filius  
 sine Patre.
- 45 Postmodum ibi: “Sed quaeris a me.” Magister inquit de generatione Filii, quid sit. Et circa  
 hoc duo facit. Primo enim ostendit istius materiae difficultatem, dicens quod in ea mens deficit,  
 et vox silet, ineffabilis est enim illa generatio, Isaiah testante, 53 capitulo: “Generationem eius,  
 quis enarrabit?”

<sup>1</sup> etc. om. Br

<sup>2</sup> Qui] quia Br

<sup>3</sup> dicens om. Br

<sup>4</sup> concluditur] convincitur Br

<sup>5</sup> et] quod Br

Secundo ibi: “Quidam tamen”, reprehendit superfluum subtilitatem, dicens quod aliqui de  
 50 suo ingenio praesumentes audent asserere quod possunt intelligere divinam generationem,  
 inhaerentes illi auctoritati Hieronymi, qui ait super Ecclesiastes\* quod saepissime in Scripturis,  
 quis non pro impossibili, sed pro difficili ponitur, ut ibi: “Generationem eius, quis enarrabit?”,  
 et respondet<sup>6</sup> Magister quod hoc non dicit Hieronymus quasi Filii generatio ad plenum valeat  
 explicari, sed quia aliquid de ea intelligi potest et dici.

55 Haec est sententia.

**Utrum possit evidenti ratione probari quod in Deo sit generatio activa vel passiva<sup>7</sup>.** Et quia  
 Magister hic agit de generatione Filii a Patre, an sit et quid sit, ideo inquirendum occurrit utrum  
 possit necessaria ratione probari /Vb 166va/ quod in Deo sit generatio activa et passiva. Et  
 60 videtur quod sic, illud enim quod est causa generationis omnibus, videtur in se ipso maxime  
 generare, iuxta illud Isaiae ultimo: “Ego, /Br 143rb/ qui generationem /X 316b/ ceteris tribuo,  
 sterilis ero?” Sed Deus dat creaturis omnibus quod possint<sup>8</sup> producere et generare. Ergo videtur  
 quod ipse maxime habeat generare.

Praeterea, quicquid est nobilitatis attribuendum est Deo. Sed generare perfectionis est,  
 65 perfectum est enim unumquodque, cum potest sibi simile generare. Ergo generatio est in Deo.

Praeterea, productio naturalis est prima productio, et per consequens poni debet in primo  
 principio. Sed nihil extra se producit Deus productione naturali, sed tantum voluntarie<sup>9</sup>. Ergo  
 producit intra se naturaliter, et per consequens generat.

Praeterea, productio necessaria est perfectior productione contingenti, necessitas enim est  
 70 perfectio simpliciter, et ideo in principio productivo ponit perfectionem. Sed nulla productio Dei  
 ad extra est necessaria. Relinquitur ergo quod productione necessaria producat ad intra, et per  
 consequens generabit.

Praeterea, quicquid de ratione sua formali est principium productivum, in quocumque est  
 sine imperfectione, in eo est principium productivum. Sed memoria perfecta, sive intellectus  
 75 habens obiectum intelligibile sibi praesens (quod idem est), haec inquam memoria est ex sua  
 formali ratione principium notitiae <generatae><sup>10</sup>. Est autem haec memoria vere et secundum  
 suam rationem in Deo, habet enim Deus intellectum infinitum, cui praesens est sua essentia  
 tamquam intelligibile adaequatum. Ergo memoria existens in Deo est principium productivum  
 notitiae generatae, et ita erit generatio in divinis.

80 Praeterea, quicquid perfectionis est in creatura, attribuendum est Deo. Sed quod obiectum  
 existens in memoria producat se in intelligentia perfectionis est, quamvis imperfectionis sit quod  
 sit aliud prout est in memoria, a se ipso prout est in<sup>11</sup> intelligentia. Ergo in divinis obiectum  
 existens in memoria (quod est essentia divina) producet se in<sup>12</sup> intelligentia manens unum et  
 idem. Haec autem productio est generatio. Igitur id quod prius.

85 Praeterea, in omni generatione imperfectum arguit aliquid perfectum. Sed omnis generatio  
 creata imperfecta est, quia non attingit ad finem generationis, qui est assimilare genitum  
 generanti, non invenitur <generatio><sup>13</sup> enim in creaturis quae totaliter identitet in forma  
 communicata genitum generanti. Necesse est ergo devenire ad aliquam generationem, quae sit  
 in identitate substantiae. Hoc autem esse non potest nisi in Deo. Erit ergo in Deo generatio.

90 Praeterea, Deus est lux incorporea iuxta illud Apostoli I ad Timotheum 6: “Lucem habitat  
 inaccessibilem”; et I Ioannis 1: “Deus lux est, et tenebrae in eo non sunt.” Sed de ratione lucis  
 est ut splendorem diffundat. Ergo de ratione Dei est ut similem sibi producat. Erit ergo generatio  
 in divinis.

<sup>6</sup> respondet] respondit Br

<sup>7</sup> vel passiva om. Br

<sup>8</sup> possint] possunt Br

<sup>9</sup> voluntarie] voluntaria Br

<sup>10</sup> <generatae>] generare Vb; generatae BoBr

<sup>11</sup> est in om. Br

<sup>12</sup> in om. Br

<sup>13</sup> <generatio> om. BoBrVb

95 **Quod non sit generatio in Deo.** Sed in oppositum videtur, nihil enim quod sit imperfectionis poni debet in Deo. Sed <generare><sup>14</sup> non est perfectionis, videmus enim quod creaturae quae perfectiores sunt in ordine universi, non generant sibi simile, ut patet de sole et anima intellectiva et angelis. Ergo generatio non debet attribui Deo, qui est nobilissimum omnium specierum. /X 317a/

100 Praeterea, generatio est mutatio a non-esse in<sup>15</sup> esse, sive a non-/Vb 166vb/-subiecto in subiectum, secundum Philosophum, V *Physicorum*. Sed in Deo non est mutatio, secundum illum Iacobi I: “Apud Deum non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.” Ergo in Deo non est generatio.

Praeterea, ubicumque est generatio, aliqua forma substantialis capit quod sit per eam. Sed in  
105 Deo nihil substantiale potest esse capere, cum substantia deitatis sit omnino a se. Ergo generatio non potest poni in divinis.

Praeterea, generans et genitum impossibile /Br 143va/ est quod sint idem, etiam penes absoluta, quia generatio egreditur ab absoluto, et terminatur ad absolutum, ut patet V *Physicorum*. Sed in Deo quicquid est, est unum et idem, cum Deus sit omnino unus, ut  
110 Philosophus dicit XII *Metaphysicae*, ubi Commentator ait quod non est unus per intentionem additam, sed est unus simpliciter, ita quod non est multiplicitas in eo secundum esse, sed tantummodo secundum intellectum. Ergo generatio poni non potest in Deo.

Praeterea, quando transfertur aliquid ad divina ex creaturis, debet fieri transumptio a nobilioribus creaturis. Sed generatio reperitur in creaturis ignobilioribus, ut in animalibus. Ergo  
115 non debuit transferri generationis vocabulum ad divina.

Praeterea, si generatio esset in Deo, qua ratione Deus generat, eadem ratione Deus genitus generabit, cum sit aequae perfectus et sic procedetur in infinitum. Sed nulla natura patitur infinitum. Ergo Deus non generat, ut videtur.

Praeterea, generatio data est ad conservationem speciei, ut patet in II *De anima*<sup>16</sup>. Sed Deus  
120 non indiget ut in genito conservetur, quia aeternus est. Ergo generatio non est in Deo.

**Responsio ad quaestionem.** Ad quaestionem istam respondendo hoc ordine procedetur. Primo quidem inquiretur quomodo se habet generare seu dicere ad ipsam intellectionem. Secundo vero inquiretur quomodo se habet dicere ad generationem. Tertio quoque, an passiva generatio  
125 repugnet vero Deo. Quarto autem, an activa generatio possit demonstrative probari esse in Deo.

### Articulus Primus

**Opinio Godofredi primo Quolibet, q. 6, et quarto, q. 18.** Circa primum ergo considerandum quod aliqui dixerunt quod intelligere non est aliud quam receptio speciei, cuius ratio est quia  
130 intellectus possibilis, cum sit potentia cognitiva, non est in potentia immediate nisi ad actum cognoscendi. Est autem in potentia ad speciem secundum Philosophum in<sup>17</sup> III *De anima*. Restat ergo quod ipsa intellectio sit receptio speciei. Et confirmatur, quia Aristoteles dicit in III *De anima* quod intelligere est quoddam pati; et Commentator dicit II *De anima*, commento 127, quod olfacere est passio et receptio odoris; et commento 140, dicit<sup>18</sup> quod passio visus habet  
135 nomen, et est ‘videre’, licet sit<sup>19</sup> in figura nominis agentis.

Dicere autem secundum istos non est aliud quam gignere intellectionem seu notitiam actualem. /X 317b/ Est autem intellectio passive quidem ab intellectu possibili, active autem ab intellectu agente, quia idem non potest esse activum et passivum respectu eiusdem. Intellectus autem agens non est sufficiens activum respectu intellectionis. Unde respectu primae  
140 intellectionis indiget phantasmatis; respectu vero conclusionis eget principiis, et <respectu><sup>20</sup> notitiae determinatae indigent confusa notitia, et respectu actualis, habituali quadam notitia. /Vb

<sup>14</sup> <generare>] generari Vb; generare BoBr

<sup>15</sup> in] ad Br

<sup>16</sup> ut patet in II *De anima om.* Br

<sup>17</sup> in *om.* Br

<sup>18</sup> dicit *om.* Br

<sup>19</sup> sit] enim Br

<sup>20</sup> <respectu>] respectus Vb; respectu BoBr

**167ra/** Sic igitur intellectus agens una cum intellectu possibili, informato habituali notitia, aut notitia confusa, aut notitia principiorum habet rationem perfectae memoriae, cuius actus est dicere, hoc<sup>21</sup> est gignere notitiam actualem et intellectionem. Sic igitur se habet dicere ad  
145 intelligere secundum istos quod intelligere est receptio speciei, dicere vero est intellectionem causare.

**Opinio Scoti, Scripto primo, d. tertia.** Fuerunt quoque alii discordantes ab istis quantum ad hoc quod dicunt intellectionem esse receptionem speciei, et similiter quoad hoc quod aiunt  
150 intellectionem esse ab intellectu agente semper immediate. Dixerunt ergo isti quod intellectio est operatio de genere qualitatis, sicut lucere et calere, non de genere actionis, sicut illuminatio et calefactio. **/Br 143vb/** Hanc autem operationem elicit intellectus possibilis, informatus per speciem intelligibilem, qui sic informatus habet rationem memoriae perfectae, cuius quidem actus est gignere intelligentiam actualem, tamquam verbum. Istud autem gignere non est aliud  
155 quam dicere sive loqui, ita quod dicere est de genere actionis, intelligere vero operatio de genere qualitatis, ut dictum est.

**Opinio Durandi, Scripto primo, d. 27.** Fuerunt autem alii dicentes quod dicere et intelligere idem sunt, tum quia Anselmus dicit, *Monologion* 62, quod scire et intelligere non est aliud quam  
160 dicere, id est<sup>22</sup> semper praesens intueri, quod scit et intelligit. Et sic patet per Anselmum quod dicere non est aliud quam cogitari vel intueri. Tum quia verbum vocale, et imago, et species dicuntur verbum denominative, et quaedam locutiones; ergo oportet devenire ad aliquid quod dicatur locutio per essentiam, et per consequens cogitatio ipsa est locutio et verbum per essentiam. Tum quia dicere est manifestare formaliter, non manifestationem facere; actus autem  
165 intellectus est quaedam manifestatio, propter quod intelligere et dicere idem esse videntur. Unde et dicere in divinis, secundum istos, non est proprie personale, sed essentielle, nec Verbum<sup>23</sup>, quamvis approprietur Filio, sicut Amor Spiritui Sancto.

**Opinio Thomae, parte prima, q. 33, art. primo, et Hervaei in tractatu *De verbo et in suo quolibet*<sup>24</sup>, et Bernardi in impugnationibus contra Henricum.** Fuerunt<sup>25</sup> alii qui dixerunt  
170 quod per actum intellectus producitur conceptus mentis, qui quidem non est species impressa in intellectu a phantasmate, nec est ipse actus intelligendi, sed differt realiter ab utroque; est autem quaedam forma specularis ad quam intellectio terminatur, et in qua tamquam in idolo rem aspicit ultimate. Differunt ergo dicere et intelligere, apud istos, quia dicere **/X 318a/** est tale  
175 idolum et formam exemplarem producere, intelligere vero est operatio immanens, quae ad istud idolum obiective terminatur. Et est considerandum quod intellectus, prout est sub actu intelligendi confuso et imperfecto, potest se movere ad notitiam perfectam; movendo autem se sic gignit hanc formam specularem in qua perfecte intelligit, non autem sic quod intelligere formaliter sit gignere istam formam, quia intelligere est operatio immanens, sed quia ipsum  
180 intelligere est formale principium, quo producitur ista forma, sicut calere est habere formale principium calefactionis. **/Vb 167rb/** Unde intelligere est habere formam, quae est intellectio ipsa, ex qua etiam gignitur forma specularis ad quam intellectio terminatur.

Uterius etiam dicunt isti quod talis forma specularis potest esse subiective in phantasmate vel in intellectu, sed magis videtur eis rationabile quod sit in intellectu.

185

**Quod dicere non sit intellectionem gignere, contra Godofredum et Scotum.** Restat igitur nunc videre<sup>26</sup> quid veritatis sit in his dictis, et primo quidem procedendum est negative sub tribus propositionibus.

<sup>21</sup> hoc] autem *add.* Br

<sup>22</sup> dicere id est] intellectum Br

<sup>23</sup> nec Verbum *om.* Br

<sup>24</sup> Hervaei in tractatu *De verbo et in suo quolibeto*] Hervaei tractatu *De verbo et in suo quolibeto* Br

<sup>25</sup> Fuerunt] et *add.* Br

<sup>26</sup> videre] dicere Br

Prima siquidem<sup>27</sup> quod dicere, nec in divinis nec in nobis, est intellectionem gignere sive  
 190 notitiam actualem. Dicere namque non est aliud quam verbum proferre, sed intellectio non est  
 verbum in nobis, nec etiam in divinis. Quod non in nobis patet per Augustinum, XIV *De*  
*trinitate*, cap. 6, qui ait quod verbum sine cogitatione esse non potest, cogitamus enim omne  
 quod dicimus. Constat autem quod non omnem cogitationem cogitamus. /Br 144ra/ Si ergo  
 195 Deo patet, quia tunc Verbum haberet directius intellectionem quam Pater, ex quo emanaret per  
 modum intellectionis, et esset Verbum directius beatum quam Pater, et esset duplex intellectio  
 in Deo, una producta et alia improducta, et sic una perfectio esset bis in Deo. Et Filius esset bis  
 beatus et bis intelligens, esset enim intelligens ex formali modo suae productionis, quia emanat  
 ut intellectio, et ex hoc quod Deus, eo enim est sapiens et beatus et intelligens quo Deus,  
 200 secundum Augustinum. Et iterum eadem perfectio esset duplici ratione in Filio, esset enim  
 intellectio eo quo Verbum, et eo quo Deus, quod est contra eum qui ait quod non eo sapiens vel  
 bonus quo Verbum, et sic de aliis attributis. Et iterum intellectio caperet esse realiter in divinis,  
 quod esse non potest, et multa alia inconuenientia quae deducuntur inferius in questione de  
 Verbo. Ergo gignere intellectionem non potest esse verbum.

205 Praeterea, cogitatio non formatur in cogitatione, alias idem formaretur in se. Sed secundum  
 Augustinum, libro *De cognitione verae vitae*, responsione 22, “cum nos aliquam rem cogitamus,  
 ipsius rei imaginem in cogitatione nostra formamus, sic etiam Deus, cum se ipsum cogitavit,  
 similem sui per omnia imaginem formavit. Et ideo hoc Verbum, Imago, vel Similitudo dicitur  
 Dei.” Haec Augustinus. Ergo manifeste patet quod nec in nobis, nec in Deo, verbum est  
 210 cogitatio actualis, sed tantum cogitatio obiectiva. Et ita dicere non est gignere notitiam  
 actualem.

Praeterea, dicere non est gignere active cogitantis, /X 318b/ sed similitudinem gignere in  
 acie cogitantis, secundum Augustinum. Sed acies cogitantis non nominat solam potentiam,  
 immo potentiam instructam per actum et informatam. Ergo dicere non est cogitationem formare.

215 Praeterea, cogitatio actus non exprimitur in cogitatione. Sed expresse dicit Anselmus,  
*Monologion* 33 cap., quod “quamcumque rem mens, seu per imaginationem seu per rationem\*,  
 cupit veraciter cogitare, eius utique similitudinem quantum valet in ipsa<sup>28</sup> cogitatione conatur  
 exprimere quod quanto verius facit, tanto /Vb 167va/ verius cogitat.” Et paulo ante dixit quod  
 220 nulla ratione negari potest, cum mens rationalis se ipsam cogitando intelligit imaginem eius  
 nasci in sua cogitatione. Et in fine concludit quod imago illa verbum ipsius est. Ergo cogitatio  
 actualis non potest esse verbum, et per consequens gignere cogitationem non est dicere nec  
 verbum generare.

Praeterea, dicere videtur praesupponere cogitationem\*, alias non diceretur improprie<sup>29</sup>  
 “nescis quid loqueris”. Sed memoria nihil cognoscit, nec intellectus agens. Ergo non videtur  
 225 quod memoriae sit dicere vel loqui, cuius oppositum dicunt duae primae opiniones.

**Quod dicere non sit idem quod intelligere vel intueri<sup>30</sup>, contra Durandum.** Secunda vero  
 propositio est quod dicere non est intueri vel cogitare formaliter, quandocumque enim aliqua  
 sunt unum et idem<sup>31</sup>, cuiusque competit unum, et alterum. Sed dicere est proprium Patris in  
 230 divinis, intelligere vero est tribus commune. Ergo intelligere non est idem quod dicere. Et si  
 dicatur quod immo dicere est commune tribus, sed tamen appropriatur Patri, hoc est expresse  
 contra mentem Augustini, qui dicit V *De trinitate*, cap. 16, quod Filius in eo quod Verbum,  
 relative dicitur, et refertur ad Patrem solum. Constat autem quod verbum refertur ad dicentem,  
 ex quo patet quod soli Patri competit<sup>32</sup> dicere in divinis.

235 Praeterea, /Br 144rb/ Filius et Spiritus Sanctus vere intelligunt in divinis, sed non proferunt  
 Verbum, nec dicunt; ergo intueri vel intelligere non est dicere. Et quod isti dicunt, quod immo

<sup>27</sup> siquidem] est Br

<sup>28</sup> ipsa] sui *add.* Br

<sup>29</sup> improprie] impropere (!) Br Vb

<sup>30</sup> dicere . . . intueri] ess non sit idem quod intelligere Br

<sup>31</sup> idem] quid *exp.*(?) Vb (*om.* Br)

<sup>32</sup> competit] verbum *add.* Br

Verbum est essenziale et commune tribus, appropriatur tamen Filio, sicut Amor Spiritui Sancto et sapientia eidem Filio, hoc est expresse contra dicta Sanctorum. De omni enim attributo quod est commune tribus et appropriatur alicui personae verum est dicere quod eo quo Deus est illud  
 240 attributum, talis persona. Licet enim potentia approprietur Patri, et sapientia Filio, et amor Spiritui Sancto sive bonitas, tamen haec est vera: quod eo Pater est Deus quo potens, et eo Filius sapiens quo Deus, et eo Spiritus Sanctus amor quo Deus et eo bonus quo Deus. Augustinus autem negat, VII *De trinitate*, cap. 4, quod non eo Deus quo Verbum. Non igitur Verbum est appropriatum. Et iterum de omni appropriato et essentiali verum est dicere quod praedicatur in  
 245 singulari de tribus, verum est enim quod tres personae sunt unum lumen, una ars, una sapientia; et tamen Augustinus expresse negat, VI *De trinitate*, cap. 2, quod non simul Pater et Filius sunt unum Verbum, sed solus Filius est Verbum. Et iterum Augustinus expresse dicit ibidem /X 319a/ quod sic dicitur Verbum, quo modo Imago et quo modo Filius. Constat autem quod nomina Filii et Imaginis non sunt essentialia, immo competentia soli personae secundae in  
 250 divinis. Unde absurdum est dicere quod Verbum sit essenziale et commune tribus. Non potest ergo dici quod intelligere et dicere et verbum idem importent.

**Quod dicere non sit formam specularem et realem producere quam aspiciat intellectus, contra Thomam, Hervaeum, et Bernardum.** Tertia autem propositio est quod nulla forma  
 255 realis existens subiective in intellectu vel<sup>33</sup> phantasmate ponenda est, ad quam aspiciat intellectus, cuius productio 'dictio' appelletur; forma siquidem illa quam nos aspicere experimur dum intelligimus rosam simpliciter aut florem, illa non est aliquid reale impressum intellectui subiective aut phantasmati, sed nec /Vb 167vb/ aliquid reale subsistens, sed est ipsamet res habens esse intentionale, conspicuum, et apparens.

260 Et licet hoc supra multipliciter sit deductum<sup>34</sup>, potest nihilominus noviter declarari. Nulla enim forma simpliciter, non singularis nec limitata, potest esse inhaerens intellectui vel phantasmati, nec esse subsistens; si enim hoc detur, cum forma simpliciter infinita sit et adaequans omnia individua, sequeretur quod esset aliqua res infinita inhaerens intellectui vel phantasmati, vel subsistens praeter primam formam quae est Deus, quod omnino impossibile  
 265 est. Sed constat quod rosa illa quam aspiciat intellectus, et forma illa specularis quae terminat mentis intuitum, illa non est natura singularis, sed natura simplex<sup>35</sup> et quiditas tota. Concipiendo enim hominem vel rosam, non terminamus aspectum ad hanc rosam vel illam, vel hominem istum vel illum, sed ad rosam et hominem simpliciter. Ergo illa forma specularis, vel idolum, vel conceptus non<sup>36</sup> potest esse aliquid reale <inhaerens><sup>37</sup> intellectui vel phantasmati, sed nec  
 270 aliquid subsistens.

Praeterea, nulla forma non-singularis<sup>38</sup> habet subiectum singulare, cum accidentia individuentur in subiectis. Sed forma specularis /Br 144va/ quam aspiciat intellectus non est singularis, immo forma simpliciter: rosam enim simpliciter, non hanc vel illam, intuemur. Ergo si est subiective in intellectu non erit intellectus aliquid singulare, sed anima simpliciter. Et per  
 275 consequens erit unus intellectus in omnibus, et redit error Commentatoris.

Praeterea, illam rosam quam intellectus speculariter aspiciat, de singularibus praedicat et dicit verificari: dicit enim de rosa visa quod est rosa quam ante concepit. Sed constat quod nulla res existens in intellectu vel in phantasmate vere enunciatur de rosis existentibus extra, cum sit quoddam accidens realiter distinctum ab omnibus individuis quae sunt extra. Ergo rosa illa  
 280 quam intellectus aspiciat tanquam formam specularem non est aliquid reale in intellectu seu phantasmate subiective existens.

Praeterea, si sit forma aliqua specularis realiter inhaerens intellectui, ad quam terminetur aspectus intellectus, aut in illam ultimate quiescit /X 319b/, aut per illam ad res extra procedit. Sed non potest dari istud nec illud. Primum quidem non, quia tunc scientiae non essent de rebus,

<sup>33</sup> vel] in *add.* Br

<sup>34</sup> deductum] declaratum Br

<sup>35</sup> simplex] simpliciter Br

<sup>36</sup> non *om.* Br

<sup>37</sup> <inhaerens> *om.* Vb; inhaerens BoBr

<sup>38</sup> non-singularis] singularis Br

285 sed de talibus idolis, quod omnino est aestimandum absurdum. Secundum etiam non: tum quia  
 contra experientiam, non experimur enim nos aspicere formam rosae et per eam ferri ulterius in  
 rosam; tum quia primum obiectum intellectus esset aliquid existens infra intellectum, et non res  
 extra, et eodem modo primum obiectum habitus scientifici et actus eius, qui est scire, esset  
 quaedam forma specularis accidentalis, et rediret quantum ad hoc error Platonis dicentis quod  
 290 intellectus aspicit ad exemplar, et non ad ipsas res. Ergo impossibile est quod talis forma realis  
 ponatur.

Praeterea, non est philosophicum pluralitatem rerum ponere sine causa, frustra enim fit per  
 plura quod potest fieri per pauciora. Sed nulla necessitas ducit ad ponendum talem rem, quae sit  
 forma specularis. Non oportet enim eam ponere ad terminandum actum intellectus, quia non  
 295 terminat eum ultimate, cum per eam transeat super rem extra, alioquin res extra non  
 cognoscerentur /Vb 168ra/ a nobis. Nec oportet eam ponere, ut mediante ipsa res clarius  
 cognoscatur, sufficit enim ad claram notitiam potentia, et actus<sup>39</sup>, et similitudo medians inter  
 potentiam et actum. Inter actum vero et obiectum non est necesse aliquam formam mediare,  
 quinimmo imperfectior esset notitia, sicut patet in visione sensitiva, quae perfectior est dum  
 300 attingit immediate obiectum quam dum attingit mediante speculo aut aliquo speculari. Ergo si  
 talis forma ponatur, erit absque omni causa et ratione; et per consequens vanum est eam ponere,  
 et superfluum in natura.

Praeterea, minus indiget reali termino operatio intellectus quam operatio sensitiva. Sed  
 sensitiva operatio non indiget reali termino, immo terminatur frequenter ad rem ipsam positam  
 305 in esse apparenti sive ad esse intentionale, /Br 144vb/ sicut Philosophus innuit II *Caeli et  
 mundi*; ubi dicit Commentator, commento 110, quod circulatio quae apparet in luna, forsitan  
 videretur alicui visio sine veritate, et non debet aliquis dicere quod sit visio tantum, quoniam si  
 esset visio, appareret sicut apparet ex sectione pyramidis visus ad corpus lunae in mense, in  
 augmentatione et deminutione. Videmus enim lineam quae fit in sectione eorum aliquando  
 310 rectam, aliquando convexam, aliquando valde profundam. Vult dicere Commentator quod de  
 mente Aristotelis est illam figuram, secundum quam luna aliquando apparet nova circularis, et  
 aliquando media, non esse<sup>40</sup> in rerum natura, sed tantummodo apparere. Et breviter, qui negat  
 quin actus visionis possit ad apparentias terminari, cogitur confiteri quod omnia vera sunt quae  
 videntur, contra quos disputat Philosophus, IV *Metaphysicae*, quia contradictoria essent vera,  
 315 cum uni videatur sic, et alteri aliter. Relinquitur ergo quod actus intellectus non terminetur ad  
 formam specularem habentem esse reale, sed ad esse intentionale tantum.

Praeterea, opinatum fuit ab Empedocle<sup>41</sup>, ut patet III *De anima*, commento 18 et commento  
 43, quod intentiones imaginatae recipiebant formam intellectam, ita quod forma illa erat /X  
 320a/ subiective in phantasmatis. Sed ista forma intellecta non est nisi forma specularis quam  
 320 mentis intuitu speculamur. Ergo isti qui ponunt formam huiusmodi specularem esse forsitan  
 subiective in phantasmatis, sectantur phantasiam ab Empedocle<sup>42</sup>, quae expresse contradicit  
 Philosopho, ut dicit ibidem Commentor.

**Quod in omni intellectione necesse est quod res emanet<sup>43</sup> in esse intentionali, et illa est**  
 325 **forma specularis.** Nunc secundo oportet procedere affirmative sub quatuor propositionibus.  
 Prima quidem quod omnis intellectio exigit rem positam in esse intentionali, et illa est forma  
 specularis de qua isti loquuntur, sed deficiunt a veritate in tribus. Primo, quidem quia putant  
 quod habeat esse reale. Secundo, quia dicunt quod est subiective in intellectu vel phantasmate.  
 Tertio, quia credunt quod per illam procedat intellectus ad res, cum illa sit vera res quam  
 330 intellectus speculatur.

Et hoc quidem patet esse de mente Commentatoris et Philosophi, et similiter Augustini et  
 Anselmi. Philosophi quidem et Commentatoris, quia VII *Metaphysicae* dicitur quod sanitas  
 quae est in materia fit a sanitate quae est in anima; ubi dicit Commentator, commento 23, quod

<sup>39</sup> potentia et actus] ut potentia actus Br

<sup>40</sup> esse] esset Br

<sup>41</sup> opinatum fuit ab Empedocle] opinio fuit Avempacae Br

<sup>42</sup> ab Empedocle] Avempacae Br

<sup>43</sup> emanet] emanat Br

quiditates sunt existentes in anima, dicitur enim sanitas de forma quae est in anima, et de habitu  
 335 qui est in corpore, /Vb 168rb/ et ambo sunt idem. Et infra manifestum est quod forma artis  
 dicitur duobus modis: unus est forma quae est in anima, et alius est illa quae est extra animam,  
 et sunt idem, verbi gratia quoniam sanitas dicitur de intellectu sanitatis, qui est in anima, et de  
 sanitate existente in corpore. Et concludit quod definitio sanitatis, quae est in anima, est sanitas  
 in rei veritate. Haec Commentator. Unde patet quod sanitas intellecta et sanitas quae est extra  
 340 sunt unum et idem realiter, quamvis differant in modo essendi, quia in /Br 145ra/ intellectu  
 sanitas habet esse apparens et intentionale, extra vero in corpore habet esse existens et reale. Et  
 propter istam differentiam dicit quod scire unum non est scire aliud, et quod quodammodo  
 differunt, differunt quidem in modo essendi, quamvis sit eadem res.

Est etiam ista intentio Augustini quasi ubique, ut superius, quaestione de memoria, extitit  
 345 declaratum; et hoc expresse dicit super Ioannem, homelia 18, ait enim quod “cum scribimus  
 litteras, facit eas primo cor nostrum, et deinde<sup>44</sup> manus nostra; litterae sunt primo a corde,  
 demum a corpore nostro, easdem autem litteras facit et cor et manus, numquid alias cor, alias  
 manus? easdem quidem facit, sed non similiter, cor enim facit eas intelligibiliter, sed manus  
 visibiliter. Ecce quomodo fiunt eadem dissimiliter.” Haec Augustinus. Unde apparet quomodo  
 350 res quae terminat mentis aspectum, et formatur in corde, non est aliud quam res extra, quamvis  
 dissimiliter habens esse: quia in corde intentionaliter, exterius vero realiter.

Est etiam intentio Anselmi, *Monologion*, 10<sup>45</sup> cap., ubi ait<sup>46</sup> quod <faber><sup>47</sup> facturus aliquod  
 suae artis opus, prius illud intra se dicit mentis conceptione; mentis autem /X 320b/ sive rationis  
 locutionem, conceptionem, hic intelligo, cum res ipsae, vel futurae vel iam existentes, acie  
 355 cogitationis in mente conspiciuntur. Et subdit quod loqui possumus nec sensibiliter nec  
 insensibiliter, signis utendo, sed res ipsas vel corporum imaginatione vel rationis intellectu intus  
 in mente dicendo, ut cum eum ipsum hominem mens, aut per imaginationem aut per rationem,  
 intuetur. Per corporis quidem imaginationem cum eius sensibilem figuram imaginamur, per  
 rationem vero, cum eius universalem essentiam, quae est animal rationale mortale, cogitamus.  
 360 Hucusque Anselmus. Unde patet quomodo res ipsae conspiciuntur mente, et illud quod  
 intuemur non est forma alia specularis, sed ipsamet res habens esse apparens, et hoc est mentis  
 <conceptus><sup>48</sup> sive notitia obiectiva.

**Quod intellectio actus exigit aliquid absolutum, a quo huiusmodi apparitio obiectiva habet**  
 365 **quod sit.** Secunda vero propositio est quod res non potest habere tale esse apparens nisi ratione  
 alicuius absoluti realis existentis in intellectu: omne namque deminutum reducitur ad aliquid  
 reale, alioquin nihil esset et in se et in alio. Sed res in esse apparenti sive rei apparitio est  
 omnino quid deminutum; unde nihil est in se. Ergo necesse est quod sit aliquod<sup>49</sup> reale in  
 intellectu, ratione cuius dicatur esse.

370 Praeterea, sicut se habet realis pictura ad esse pictum, sic se videtur habere realis apparitio ad  
 dare esse apparens. Sed numquam Caesar caperet esse pictum nisi quatenus est aliqua realis  
 pictura. Ergo nec res erunt apparentes intellectui nisi quatenus est aliqua formalis apparitio et  
 realis in intellectu. /Vb 168va/

Hoc autem impossibile est, quod sit purus respectus: tum quia <respectus><sup>50</sup> iste indigeret  
 375 fundamento alio a nuda potentia intellectus aut, si intellectiva potentia fundaret istum  
 respectum, omnis qui habet <intellectivam><sup>51</sup> potentiam haberet apparentiam omnium rerum in  
 actu, cuius oppositum experimur. Tum quia nulla similitudo quae sit respectus vel relatio facit  
 res apparere, est enim similitudo inter duo alba, et inter iustitiam existentem in /Br 145rb/  
 voluntate unius iusti et alterius, et<sup>52</sup> similiter inter grammaticam unius grammatici et alterius,

<sup>44</sup> deinde] demum Br

<sup>45</sup> 10] 18 Br

<sup>46</sup> ait] dicit Br

<sup>47</sup> <faber> om. Vb; faber BoBr

<sup>48</sup> <conceptus>] om. Vb; conceptus Br, mg. Bo

<sup>49</sup> aliquod] aliquid Br

<sup>50</sup> <respectus>] respectum Vb; respectus BoBr

<sup>51</sup> <intellectivam>] intellectum BoVb; intellectivam Br

<sup>52</sup> et om. Br



380 nec tamen ista similitudo facit grammaticam aut iustitiam alterius apparere. Tum quia similitudo-relatio maior est inter duas animas vel inter duas albedines, cum sint eiusdem speciei, quam inter ipsam albedinem et speciem illius in oculo existentem, istae nempe non sunt eiusdem speciei, claret<sup>53</sup> autem quod anima non facit apparere animam, nec albedo albedinem; unde relinquitur quod relatio similitudinis non facit res intellectui apparere.

385 Restat ergo ut illud quod facit res cognitae apparere sit aliquid absolutum: istud autem poni non potest quod sit qualitas sola, sive species, sive operatio de genere qualitatis. Si enim esset species, tunc medium in quo recipiuntur species esset comprehensivum, et sibi res apparent, quod falsum est. Si vero esset operatio de genere qualitatis ut lucere et albere, tunc lucere /**X 321a**/ poneret res in esse apparenti, et esset bona constructio dicendo “luceo te” vel “albeo te”,  
390 sicut dicendo “intelligo te”; non est igitur sola qualitas illud quo res capiunt esse apparens<sup>54</sup> obiective. Ulterius non potest dici quod sit qualitas cum respectu ad obiectum: tum quia species habet utrumque, etiam prout existit in medio; tum quia declaratum est quod respectus similitudinis non facit res<sup>55</sup> apparere, alias per picturam appareret Caesar parieti, quod est falsum. Relinquitur ergo quod sit illud absolutum a quo oritur notitia obiectiva coniunctum  
395 quoddam ex potentia intellectiva et ex similitudine ipsa. Nec enim potentia per se ipsam ponit res in esse formato, nec similitudo, aut qualitas quaecumque, sed utrumque simul parit notitiam obiectivam sive ponit res<sup>56</sup> in esse apparenti, quod potest multipliciter declarari.

Primo quidem, quia Augustinus dicit, XI *De trinitate*, cap. 2, quod visio quae fit in sensu non gignitur ex sola re visibili, nisi assit et videns, quocirca ex visibili et vidente gignitur visio, ita  
400 sane, ut ex vidente sit sensus oculorum et aspicientis intentio, informatio tamen sensus, quae ‘visio’ dicitur, a solo corpore imprimatur; ideoque non possumus quidem dicere quod sensum gignat res visibilis, gignit tamen formam, velut similitudinem suam, quae fit in sensu. Et multa alia dicit ibidem Augustinus, ex quibus patet quod fuit eius intentio quod sola similitudo non est sensus, sed similitudo impressa in oculo, utrumque constituit sensum ex quo oritur visio  
405 obiectiva.

Secundo vero idem patet quia esse apparens, quod capit res per intellectionem et visionem, est proprium rei comprehensivae et vitam habentis, nulli enim naturae<sup>57</sup> res apparent nisi sit comprehensiva; unde illud est proprie susceptio formae sine materia. Nulla ergo natura non-vitalis potest constituere res in esse apparenti. Oritur ergo apparitio obiectiva simul ab utroque,  
410 videlicet a potentia et impressa similitudine.

Tertio quoque patet idem, quia partus debet assimilari ei a quo nascitur: notitia vero obiectiva est /**Vb 168vb**/ res in quodam esse intentionali posita, et in esse prospecto, quapropter oritur a re /**Br 145va**/ ipsa, et a prospiciente anima. Res autem non facit idem cum anima nisi per similitudinem suam. Quare relinquitur ut<sup>58</sup> conceptus seu partus mentis oriatur ab utroque.

415 Ex quo patet quod intellectio actus non nominat solam similitudinem nec unam formam simplicem, sed compositum ex potentia et ex similitudine rei, ambo enim constituunt<sup>59</sup> intellectionem, quia sola similitudo non est intellectio, nec sola potentia, sed simul utrumque et ab utroque paritur obiecti apparitio sive praesentia intentionalis et relucentia obiectiva. Et quod utrumque sit ipsa intellectio, tamquam aliquid constitutum ex potentiali et actuali, expresse dicit  
420 Commentator, III *De anima*, commento 18. Et Augustinus ubi supra de sensu ait quod non est sola forma impressa a corpore, sed est utrumque. Unde decipiuntur, qui quaerunt intellectionem tamquam unam formam simplicem, cum sit quoddam compositum ex duobus, quorum unum est potentia, reliquum complementum. Utrum autem ista similitudo sit species, aut oporteat speciem ponere praeter similitudinem quae est pars actus, locum /**X 321b**/ habebit in secundo  
425 libro. Unde ad praesens haec inquis<it>io<sup>60</sup> relinquatur.

<sup>53</sup> claret] clarum Br

<sup>54</sup> apparens om. Br

<sup>55</sup> res] rem Br

<sup>56</sup> res] rem Br

<sup>57</sup> naturae] creaturae Br

<sup>58</sup> ut] quod Br

<sup>59</sup> constituunt] unam add. Br

<sup>60</sup> inquis<it>io] inquisio (!) Vb

**Quod intellectio actus duplicem habitudinem habet ad rem positam in esse apparenti.**

Tertia quoque propositio est quod notitia actualis quae dicit compositum ex similitudine rei et ex intellectiva potentia, istud inquam sub duplici habitudine respicit rem positam obiective in  
 430 esse intentionali. Et est prima habitudo de genere actionis, secunda vero de genere relationis. Talis namque apparitio<sup>61</sup> obiectalis et oritur effective a potentia et a similitudine informante, quae duo constituunt actum intellectionis, et oritur intra potentiam sic informatam. Quod potest multipliciter declarari.

Primo quidem, quoniam res posita in esse apparenti dicitur concipi per actum intellectus,  
 435 immo est conceptus intellectualis. Conceptus autem remanet intra concipientem, et est a concipiente. Ergo res ut apparens dependet ab actu intellectus effective et per modum producti, et contentive et per modum contenti.

Secundo vero, quia formando huiusmodi conceptum mens dicitur sibi loqui, et per consequens ille conceptus habet habitudinem ad mentem loquentem, et ad eandem mentem,  
 440 tamquam ad id cui locutio fit.

Tertio autem, quia omne quod apparet, alicui apparet, et omne quod lucet, alicui dicitur lucere; talis autem conceptus dicitur apparitio et relucentia quaedam; habet ergo habitudinem ad intellectum in actu tamquam ad id cui lucet et cui apparet. Constat autem quod habet  
 445 habitudinem tamquam ad id cuius virtute est, ut declaratum est supra quod relucentia obiectiva non est nisi propter realem relucentiam, quae est actus. Ergo patet quod res posita in esse intentionali, dupliciter se habet ad actum intellectus<sup>62</sup>, videlicet quia virtute eius lucet, et quia sibi lucet.

Est autem considerandum quod prima habitudo fundatur taliter super actum quod impossibile est actum intelligi sine huiusmodi relucentia activa, sicut enim res posita in esse obiectali, puta  
 450 rosa apparens, non potest resolvi per intellectum in rem et apparitionem passivam tamquam **/Br 145vb/** in duo, immo rosa quae obiicitur videtur omnino simplex, nec potest aspici rosa simpliciter quin concipiatur res<sup>63</sup> in esse apparenti – **/Vb 169ra/** non enim rosa habet quod sit simpliciter in esse reali, sed hoc habet in esse apparenti –, sic intellectio rosae, cum sit quaedam activa relucentia faciens res lucere et quaedam activa apparitio qua res apparent obiective,  
 455 concipi non potest sine ista activitate.

Sed his quae dicta sunt videntur multa obviare. Omne enim absolutum potest concipi absque respectu. Sed actus intellectus, qui resultat ex potentia et ex reali similitudine obiecti, est aliquid absolutum. Ergo poterit intelligi sine respectu activitatis.

Praeterea, supra dicebatur quod id quo ponuntur res in esse apparenti non est respectus, nec  
 460 per respectum ponuntur. Hic autem dicitur oppositum. Ergo repugnantia est in dictis.

Praeterea, omnia verba ista videntur phantasiae, quod enim nihil est, produci non potest. Res **/X 322a/** in esse apparenti nihil sunt, ut supra dictum est. Ergo produci non possunt, nec intellectio habet annexam aliquam activitatem.

Praeterea, res in esse apparenti videtur effectus formalis apparitionis realis quae est in  
 465 intellectu. Effectus autem formalis non producitur a forma. Ergo res in esse apparenti non capit effective per intellectionem quod sit, sed magis videtur quod a memoria causante intellectionem causetur talis apparitio obiectiva.

His tamen non obstantibus dicendum est<sup>64</sup> sicut prius, est enim considerandum quod simillimum est de divina essentia cum generatione activa et passiva, et de intellectione cum  
 470 apparitione activa et re in esse apparenti posita cum apparitione passiva. Sicut enim impossibile est intelligi divinam essentiam sine generare, sic impossibile est concipi intelligere aliquid sine apparitione activa quae res faciat apparere, si enim res non facit apparere, iam non facit aliquid intueri nec intelligere. Sicut igitur intellectio est activa apparitio, et non solum (quia tunc esset purus respectus), nec tamen illud quod est in intellectione ultra activam apparitionem potest  
 475 praecise concipi sine activa apparitione, iam enim non conciperetur ut intellectio, et esset intellectio ens per accidens compositum ex illo absoluto et respectu activitatis, nec illud

<sup>61</sup> apparitio] apparentia Br

<sup>62</sup> intellectus *om.* Br

<sup>63</sup> res *om.* Br

<sup>64</sup> est *om.* Br

absolutum ex se res faceret apparere, cuius oppositum probatum est supra – sicut inquam se  
 habet absolutum intellectionis ad formare active sive res facere apparere, sic se habet essentia in  
 divinis ad generare, quod concipi non potest sine ipso, nec e converso; unde sunt unum unitate  
 480 omnimodae indistinctionis. Similiter etiam apparitio passiva per quam rosa capit esse  
 simpliciter concipi non potest absque rosa simpliciter, nec e converso. Unde conceptus rosae,  
 licet non sit purum concipi, immo cum hoc est rosa, resolvi tamen non potest in realitatem rosae  
 et ipsum concipi tamquam in duo, immo conceptus rosae obiicitur tamquam quid  
 simplicissimum, et impossibile separari in duo. Et eodem modo Verbum in divinis, quod  
 485 includit concipi seu generari passive et cum hoc divinam essentiam, resolvi non potest per  
 aliquem intellectum in generari et essentiam, immo est quid simplicissimum propter unitatem  
 /Br 146ra/ indistinctionis omnimodae, quae tanta est realiter in conceptu divino, quanta est  
 intentionaliter in conceptu rosae ab intellectu nostro formato.

Nec procedunt instantiae. Prima enim falsum assumit, videlicet quod omne absolutum possit  
 490 intelligi circumscripto respectu, patitur enim evidentem instantiam in conceptu rosae, quia  
 realitas rosae simpliciter concipi non potest absque /Vb 169rb/ esse apparenti. Quia si  
 excludatur esse apparens, et concipiatur rosae realitas, aut illa realitas concipietur ut plures, et  
 tunc non concipitur rosa simpliciter nec realitas simpliciter, sed individualis; si vero concipitur  
 ut una, concipitur ut apparens, quia non habet unitatem nisi in esse apparenti. Similiter etiam  
 495 actus intellectus concipi non potest nisi ut faciens res obiective apparere, et ita est in divinis  
 quod essentia absoluta concipi non potest absque proprietatibus. Unde patitur instantiam illa  
 propositio in /X 322b/ Verbo et Parente divino et in verbo et parente<sup>65</sup> creato, sicut experientia  
 docet.

Et si dicatur quod Avicenna dicit, V *Metaphysicae*, quiditatem posse concipi absque hoc  
 500 quod concipiatur in anima vel extra animam, et ita videtur quod rosa concipiatur absque esse  
 apparenti quod habet in anima. Non valet quidem, aliud est enim apparentiam claudii in aliquo  
 conceptu, aliud concipi sub ratione apparentis. Rosa ergo simpliciter – sive equinitas, sive  
 humanitas, sive quaecumque quiditas – prout abstrahit ab esse in anima et esse extra, et in  
 quantum ita abstracte concipitur, de necessitate claudit in se concipi. Concipi autem idem est  
 505 quod obiective apparere. Claudii igitur apparere. Non tamen concipitur propter hoc ut apparens,  
 aliud enim est concipi, et aliud sub ratione conceptus concipi: in primo enim concipi clauditur  
 per modum partis et dantis rei quod concipiatur formaliter, in secundo vero clauditur tamquam  
 id super quod transit conceptio. Sed de hoc magis inferius apparebit.

Secunda etiam instantia non procedit, quia nullo modo conceditur quod respectus ponat res  
 510 in esse apparenti, immo absolutum intellectionis ponit active in esse formato. Ista autem positio  
 non est respectus, sed est<sup>66</sup> metaphorica actio sine qua absolutum intellectionis concipi non  
 potest, debetur enim illi absoluto, in quantum tale, quod ponat res in esse obiectali.

Tertia quoque deficit, quia res in esse apparenti nihil est in se nisi deminute et metaphorice,  
 eo modo quo entia rationis dicuntur esse; et ea quae non sunt simpliciter, sunt in anima, ut dicit  
 515 Commentator IX *Metaphysicae*, commento 7; ait enim quod entia quae non sunt extra animam,  
 non dicuntur esse simpliciter, sed dicuntur esse in anima cogitativa; et VII *Metaphysicae* dicit  
 Philosophus quod negationes dicuntur entia modo logico; et similiter in XII<sup>67</sup>. Sicut ergo res in  
 esse apparenti est tantum metaphorice, sic actio <qua><sup>68</sup> formatur est metaphorica. Nec hoc est  
 phantasia, nisi Augustinus reputetur phantasticus, qui dicit XIV *De trinitate* quod tanta vis est  
 520 cogitationis, quod per eam anima se ipsam ante se conspicuam constituit; et nisi sit phantasticus  
 Commentator, qui dicit III *De anima*, commento 18, quod si formare per intellectum sit  
 aeternum, formatum erit aeternum; et nisi phantasticus sit Philosophus, qui utitur isto vocabulo  
 in III *De anima* secundum antiquam translationem, /Br 146rb/ dicens: formare autem per  
 intelligentiam res indivisibiles, erit in rebus in quibus non est falsitas; ubi dicit Commentator,  
 525 commento 24, quod duplex est actio intellectus: una quae dicitur formatio, et alia quae  
 appellatur fides; et nisi etiam phantasticus sit Anselmus, *Monologion*, 10 cap., qui ait quod qui

<sup>65</sup> parente] humano sive *add.* Br

<sup>66</sup> est *om.* Br

<sup>67</sup> et similiter in XII *om.* Br

<sup>68</sup> qua] quae Vb; qua BoBr

facturus est aliquid, prius illud intra se dicit mentis conceptione: illa autem similitudo, quae in acie mentis rem ipsam cogitantis exprimit, illud est principale /Vb 169va/ verbum rei. Unde dicendum quod cum phantasia dicatur apparitio, etiam vocabulum ‘phantasiae’ demonstrat quod  
530 res capiunt<sup>69</sup> esse apparens per comprehensiones.

Quarta demum instantia non obsistit, effectus enim formalis non differt realiter a forma. Nunc autem rosa in esse apparenti posita differt ab actu intellectus, cum de illa scientia sit, et illa praedicetur de particularibus rosis, et ipsa obiiciatur /X 323a/ actui intellectus. Est igitur esse apparens ab intellectione tamquam a metaphorico producente, non ut effectus formalis.

535

**Sub qua habitudine actus intellectus appelletur ‘conceptio’, et sub qua ‘dictio’ sive ‘locutio’ et sub qua ‘intellectio’<sup>70</sup>.** Quarta demum propositio quod actus intellectus appellatur ‘conceptio’ in quantum aspicit rem formatam sub habitudine producentis, et sub habitudine eius, cui producitur in esse apparenti; concipere enim est producere intra se, et ideo mas non concipit,  
540 sed femella. Ergo, quia per actum intellectus res producitur in esse apparenti intra ipsum intelligentem, merito totum hoc appellatur ‘conceptio’, et res sic posita appellatur ‘conceptus’, et ‘proles’, et ‘partus’. Actus autem intellectus, in quantum aspicit in ratione producentis rem huiusmodi apparentem, in tantum appellatur ‘formatio’, vel ‘expressio’, vel ‘generatio’, vel ‘dictio’, vel ‘locutio’. Actus vero intellectus, in quantum est id cui res illa formatur et cui  
545 producitur in esse apparenti et relucenti, in tantum dicitur ‘intellectio’, vel ‘intuitio’, vel ‘visio’. Quod apparet ex nominum interpretatione, dicitur enim ‘intellectio’ quasi ‘intus lectio’, vel ‘collectio’, pro eo quod obiectum formatum colligitur infra intellectionem; dicitur etiam ‘intuitio’ quasi ‘intus itio’, et ‘visio’ quasi ‘vadatio’, pro eo quod mens intus itur, et vaditur ab obiecto, ut ita liceat loqui.

Est autem considerandum quod impossibile est in nobis esse aliquem actum intellectus sine ista duplici habitudine, unde omnis creata intellectio est conceptio et locutio et intuitio, pro eo quod idem absolutum habet necessario habitudines ambas. Si autem sic esset quod res emanans in esse apparenti caperet esse tale secundum rem et non solum deminute et metaphorice, tunc habitudo formantis esset realis, unde et formare esset reale, et formari similiter; semper tamen  
555 habitudo ut cui fit formatio esset secundum rationem. Propter quod primam habitudinem formantis non potest habere res apparens ad se ipsam, alias idem esset producens et productum realiter, quod esse non potest, secundam vero habitudinem rationis idem potest habere ad se ipsum.

Ad propositum itaque in divinis, cum essentia<sup>71</sup> deitatis sit quoddam intelligere  
560 eminentissimum omnis rei, ipsa quidem ponit in esse apparenti /Br 146va/ semetipsam et omnem rem. Nec intelligi potest sine ista<sup>72</sup> activitate qua ponit omnes res in esse conspicuo, et quoniam ista positio est realis, ne conceptus <eius><sup>73</sup> habeat esse deminutum, consequens est ut ipsa et omnis res<sup>74</sup> posita in esse formato habeat esse reale, et hoc est Verbum in divinis. Quia cum<sup>75</sup> res ponit se ipsam in esse formato, non distinguitur nisi penes formare et formari,  
565 producere et produci, unde necesse est quod deitas posita in esse formato sit eadem cum deitate cui coniungitur /Vb 169vb/ formare, et per consequens quod sit idem Deus, quamvis sit realis distinctio infra ipsum. Et quia actus intellectus prout erat formativus appellabatur dicere sive loqui, ideo solus Pater dicit et<sup>76</sup> loquitur, /X 323b/ ac profert Verbum in divinis, nec communicatur Filio actus intellectus, prout virtute eius capit res quod sit apparens; actus tamen  
570 intellectus, prout sibi res apparet et est id cui fit locutio et dictio, communicatur Filio et Spiritui Sancto. Hoc autem erat formaliter intellectio et intuitio, propter quod quilibet trium formaliter intelligit et intuetur. Unde<sup>77</sup> Pater Verbum concipit intra se, et quia concipit, ideo<sup>78</sup> generat,

<sup>69</sup> capiunt] accipiunt Br

<sup>70</sup> dictio sive . . . intellectio] dictio locutio etc. Br

<sup>71</sup> essentia] exemplar Br

<sup>72</sup> ista *om.* Br

<sup>73</sup> eius] cuius\* Vb; eius BoBr

<sup>74</sup> et omnis res] res Br

<sup>75</sup> quia cum] quod tamen Br

<sup>76</sup> et] sive Br

<sup>77</sup> Unde] ut Br

loquitur, et dicit; sed quia intra se obiective, ideo dicitur intelligere, quasi intra se legere, colligere, et intueri; communicat autem Filio omnia praeter generare et producere ipsum Filium, quia hoc communicare non potest, contradictio quidem est quod idem producat se. Restat ergo quod Filio communicet actum intellectus, prout est id cui lucet res formata et<sup>79</sup> cui apparet; et quod recipit rem sic positam obiective, et ita communicat sibi suum intelligere et suum intueri. Et secundum hoc solus Pater dicat Verbum sibi et omnibus tribus, ipse vero et omnes tres simul capiant obiective et sit unicum intelligere in omnibus tribus.

580 Ex praemissis ergo colligitur quid sit dicere et intelligere in nobis et quid etiam in divinis. In nobis<sup>80</sup> quidem ‘dicere’ nominat intellectivam potentiam informatam reali similitudine obiecti, in quantum per eam capit res cognita esse formatum et apparens; unde illa activa formatio, ‘dictio’ seu ‘locutio’ appellatur. ‘Intellectio’ vero nominat eandem potentiam cum eadem similitudine, prout est id cui obicitur, seu formatur et ponitur, ut luceat et appareat. Unde patet quomodo intelligendo mens loquitur sibi ipsi: exprimit enim sibi rem quam format. In 585 divinis autem consimiliter ‘dicere’ nominat formationem activam qua Deus ponit se in esse conspicuo et formato; ‘intelligere’ vero nominat ipsam deitatem in quantum est id cui fit ista reluctance et formatio.

Et in hoc primus articulus terminetur.

590

### Articulus Secundus

**Quomodo se habet dicere ad generationem activam. Opinio communis.** Circa secundum autem considerandum est quod aliqui dicere voluerunt quod ratio generationis transfertur ad divina ex generatione reperta in creaturis, exclusa tamen omni imperfectione. Invenitur autem generatio appellari in creaturis via in substantiam, unde ignis dicitur generari ab igne. Dicitur 595 autem haec via generatio ad differentiam motuum et acquisitionum, quae non sunt<sup>81</sup> ad substantiam, sed ad alia praedicamenta, ut sunt alteratio, et augmentum<sup>82</sup>, et circulatio, /**Br 146vb**/ et similia. In speciali autem via in substantiam vivam<sup>83</sup> ‘generatio’ appellatur, unde magis proprie dicitur generatio in viventibus. Invenitur adhuc specialius et maxime proprie generatio in intellectualibus, ut inter homines, ubi servatur habitudo paternitatis et filiationis 600 perpetuo; in viventibus autem quamdiu durat indigentia nutrimenti, in non-viventibus autem non reperitur paternitas et filiatio. Ut secundum hoc generatio proprie sumpta sit via in substantiam vivam et intellectualem. /**X 324a**/

Est autem advertendum quod istam viam duplex imperfectio comitatur: prima scilicet quia non producitur /**Vb 170ra**/ genitum de<sup>84</sup> tota substantia, sed de parte; secunda vero quia generans praecedit genitum duratione et tempore. Amotis ergo imperfectionibus istis, generatio reperitur in Deo, in quo est via in Filium, qui est substantia viva et intellectualis.

Sic igitur patet quid sit generatio in divinis secundum istum modum dicendi, qui siquidem stare non potest, constat enim quod eadem est proprietas Verbi et Filii in divinis. Dicit enim 610 Augustinus, VII *De trinitate*, cap. 4, quod Filius in divinis “eo Verbum quo Filius,” et “Filius quo Verbum”. Sed si ratio generationis, prout est in divinis, esset via in substantiam viventem intellectualem, non esset eadem proprietas Verbi et Filii. Tum quia generatio verbi in nobis <non><sup>85</sup> semper terminatur ad substantiam, cum aliquando formetur verbum de accidentibus, sed nec ad substantiam vivam, cum formemus verba de non-viventibus, et<sup>86</sup> similiter nec ad 615 substantiam intellectualem<sup>87</sup>, quia verba et conceptus saepe formantur de irrationalibus<sup>88</sup>. Tum

<sup>78</sup> ideo *om.* Br

<sup>79</sup> et *om.* Br

<sup>80</sup> et quid etiam . . . nobis *om.* Br

<sup>81</sup> sunt] est Br

<sup>82</sup> augmentum BoVb] augmentatio Br

<sup>83</sup> vivam *om.* Br

<sup>84</sup> de] in Br

<sup>85</sup> <non> *om.* Vb; non BoBr

<sup>86</sup> et *om.* Br

<sup>87</sup> intellectualem] intelligibilem Br

<sup>88</sup> irrationalibus] irrationabilibus Br

etiam quia Filius genitus per talem modum generationis non appellatur Verbum, non enim hominum filii appellantur verba. Ergo generatio in divinis non dicitur secundum istam rationem.

Praeterea, cui competit definitio et definitum. Sed aequae spiratio in divinis terminatur ad substantiam vivam et intellectualem, sicut productio Filii, quia Spiritus Sanctus est  
620 intellectualiter vivens substantia. Ergo si haec esset ratio generationis in Deo, Spiritus Sanctus aequae genitus dici posset, sicut et Filius.

Praeterea, generatio quae est via in substantiam attingit eam per modum termini formalis. Sed probatum est supra quod divina essentia non est formalis terminus. Igitur id quod prius.

Praeterea, generatio quae est via in substantiam intellectualem viventem, sic attingit  
625 substantiam ut per eam capiat substantia quod sit res. Sed probatum est supra quod per generationem deitas non capit quod sit. Non est ergo in Deo generatio secundum hanc rationem.

**Quae sit ratio generationis, et quomodo se habet dicere ad generare in divinis.** Propterea dicendum quod generatio **/Br 147ra/** accipi potest tripliciter. Primo quidem pro omni  
630 productione ad substantiam terminata, et hoc\* dividitur in aequivocam et univocam: aequivocae enim sol producit ignem, quem tamen alius ignis generat univoce. Secundo vero sumitur pro illa productione substantiae, quae fit ex decisione et propagatione, et hoc competit animalibus et vegetabilibus. Et in ista etiam cadit aequivocatio et univocatio, equus enim generat mulum aequivocae et equum univoce, et talis est generatio reperta in hominibus, secundum quam fit  
635 communicatio specificae naturae. Tertio vero sumitur generatio pro illa productione, qua producitur imago, sive<sup>89</sup> similitudo, vel species, vel splendor. Gignit enim sol splendorem **/X 324b/** et obiectum, speciem ac imaginem, et hoc modo intellectus actuatus similitudinibus rerum dicitur res gignere et formare, quasi parere ac concipere intra se. Primis itaque duobus  
640 modis non est generatio in divinis, quia nec productio terminatur ad substantiam, quia non capit esse per eam, nec per propagationem aut decisionem substantiae aliquid ibi producitur. Sed tertio modo est ibi ratio generationis.

Posset autem generatio hoc modo sumpta definiri quod est via in intellectualem imaginem, speciem, seu conceptum. Ex quo enim conceptus mentis est quasi proles: intellectus enim res gignit, ac format et fabricat in **/Vb 170rb/** esse intellectuali, non mirum si via in talem prolem  
645 generatio appelletur; unde esse formatum est esse prolem et partum mentalem, propter quod formare et inferre esse formatum<sup>90</sup> est generatio vera. Cum igitur in divinis per actum intellectus ponatur deitas et omnis res in esse formato, Deus autem sic positus est vere conceptus, proles, et partus mentis paternae, dicendum est quod ibi est verissima generatio secundum propriissimam<sup>91</sup> rationem, immo verius et proprius quam in quacumque creatura, sicut testatur  
650 Damascenus, lib. I, cap. 10, dicens quod non ex<sup>92</sup> nobis translatus est<sup>93</sup> ad beatam deitatem paternitatis et filiationis et processionis nomen, sed in contrarium inde nobis traditum est, ut ait dominus\* Apostolus: propterea flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Ihesu Christi, ex quo omnis paternitas in caelo et in terra.

Sed forte dicitur quod generatio intellectualis imaginis sumit rationem generationis ex  
655 secundo modo, qui est sibi simile producere secundum naturam specificam. Sed dicendum quod hoc verum non est, immo aequivocae et secundum aliam rationem dicitur ‘generatio’ productio rei in esse concepto; illa enim dicitur ‘generatio’, pro eo quod ad substantiam terminetur, haec autem non, cum possit terminari ad accidens, immo cum non terminetur ad substantiam – numquam – sed semper ad apparentiam rei; esse autem apparens est quoddam concipi et  
660 quoddam generari, pro eo quod est similitudo summa et imago eius a quo generatur, et quia similior est conceptus gignenti quam quicumque realis filius productus per primam generationem vel secundam. Propter hoc si dicantur per prius et posterius, per prius dicitur generatio de productione intellectualis imaginis et partus mentalis. Inter omnes autem mentales generationes, per prius dicitur de divina, ut praedictum est secundum Damascenum. Et sic patet

<sup>89</sup> sive] forma Br

<sup>90</sup> est esse prolem . . . formatum *om.* Br

<sup>91</sup> propriissimam] propriam Br

<sup>92</sup> ex] esse Br

<sup>93</sup> est *om.* Br

665 quomodo eadem est proprietas Verbi et Filii, et quomodo /Br 147rb/ generari idem est quod dici, et generare idem quod dicere in Deo.

Et in hoc finitur articulus secundus.

### Articulus Tertius

670 **Ubi ostenditur quod passiva generatio non repugnat vero Deo.** Circa tertium vero considerandum quod sex sunt difficultatem facientia, si ponatur verus Deus fuisse proprie generatus. Primum quidem quia passiva generatio videtur ponere quandam indignitatem, passio enim in indignitatem quandam sonat. Secundum vero quia generatio passiva videtur ponere quandam posterioritatem. /X 325a/ Tertium vero quia videtur contingentiam ponere et excludere  
675 necessitatem. Quartum quia videtur inducere substantiae diversitatem. Quintum quia videtur ponere quandam dependentiam geniti a generante, et quandam infimitatem. Sextum quia videtur aeternitatem excludere et inducere novitatem. Ostendendum ergo per ordinem quod ex nullo istorum repugnat quin generari possit competere vero Deo.

680 **Quod generari<sup>94</sup> non inducat indignitatem.** Non repugnat ergo primo ex hoc quod generari inducat indignitatem seu imperfectionem. Sed huic obviare videtur, quia praedicamentum passionis est imperfectius praedicamento actionis, quod patet<sup>95</sup> ex III *Physicorum*, ubi pati  
685 reducitur ad potentiam et materiam, agere vero ad actum et formam; et similiter IX *Metaphysicae*. Sed generari videtur pertinere ad praedicamentum passionis. Ergo repugnat Deo.

Praeterea, secundum sanctos et doctores in Deo non sunt nisi duo praedicamenta, videlicet<sup>96</sup> substantia et relatio. Sed generari non pertinet /Vb 170va/ ad genus relationis, cum sit passio. Ergo non est in Deo ponendum.

Praeterea, reverentia exhibetur in signum excellentiae. Sed quicumque genitus tenetur ad reverendum patrem. Ergo inferioritatem ponit generari in ordine ad patrem.

690 Ex hiis motivis visum fuit aliquibus quod generatio in divinis non est passio, sed respectus de genere relationis. Relatio autem non dicit perfectionem nec imperfectionem, quamvis passio imperfectionem importet. Unde Filius non est imperfectus, quia generatio passio non est, sed relatio. Sed hoc stare non potest, nullus enim respectus de genere relationis infertur seu causatur a coopposito respectu; non enim paternitas causat aut infert filiationem, alias respectus de  
695 genere relationis esset activus sive actio, et alius esset passivus seu passio, passio enim est effectus illatioque actionis secundum auctorem\* *Sex principiorum*. Sed constat quod generare in divinis infert generari, et dicere infert dici et verbum, ac concipere concipi et conceptum. Ergo generare et generari non sunt respectus de genere relationis.

Praeterea, Simplicius super *Praedicamenta* assignat differentiam inter genus relationis, et  
700 genera actionis et passionis, dicens quod ex relatione non provenit aliquod actum<sup>97</sup>, sed ex actione et passione provenit. Sed in divinis provenit aliquid per modum acti et producti, scilicet Filius. Ergo generare et generari non sunt de genere relationis, sed potius de genere actionis et passionis.

Praeterea, generare est vere producere et generari vere produci, /Br 147va/ alioquin non vere  
705 Pater Filium produxisset. Sed producere et produci non sunt de genere relationis, immo relatio fundatur super<sup>98</sup> illa, ut patet V *Metaphysicae*. Ergo generare et generari non sunt de genere relationis.

Est ergo considerandum quod passio habet respectum ad subiectum, et per eam dicitur pati, et ad formalem terminum, qui per eam capit esse et habet originari, et habet aspectum ad totum  
710 compositum ex subiecto et ex formali termino, quod habet fieri directe per eam, et habet aspectum ad constitutum formaliter per eam, eo modo <quo><sup>99</sup> generari constituit genitum, et generare generantem. Accipiendo igitur /X 325b/ passionem prout habet aspectum ad

<sup>94</sup> generari *om.* Br

<sup>95</sup> patet Vb] apparet BoBr

<sup>96</sup> videlicet] videtur Br

<sup>97</sup> actum] actu Br

<sup>98</sup> super] in Br

<sup>99</sup> quo *om.* Vb; quo BoBr

subiectum, sic dicit imperfectionem, pati enim subiective imperfectionis est, et sic non est in  
 715 divinīs, cum nec sit ibi <esse><sup>100</sup> per modum materiae nec per modum subiecti. Accipiendo  
 etiam passionem, prout habet aspectum ad formalem terminum capientem esse, sic etiam non  
 est in Deo, probatum est enim supra quod deitas non est formalis terminus productionis, sed  
 communicatur per modum formae symbolicae et communis. Accipiendo quoque tertio non est  
 etiam in divinīs, quia non est ibi aliquid compositum ex subiecto et ex formali termino per  
 720 generationem acquisito. Sed quarto modo accipiendo passionem, prout respicit constitutum  
 formaliter ex ipsa, sic potest poni quod generari sit quasi passio, et generare quasi actio in  
 divinīs; de ratione enim passionis est quod sit quaedam illatio actionis, res ergo generationis  
 passivae, quia illata, est vere et realiter a re ipsius generationis activae, aliqualem modum habet  
 passionis. Non quod sit proprie conceptus passionis praedicamentalis in divinīs, sicut nec  
 conceptus praedicamentalis substantiae aut relationis; de conceptu enim passionis est quod  
 725 recipiatur in subiecto, /Vb 170vb/ et terminetur<sup>101</sup> ad aliquid esse capiens passive per eam, et  
 quod inferatur ab actione. Res igitur generationis quae est in Deo non retinet primum nec  
 secundum, sed tertium, unde non est in praedicamento passionis, quamvis sit ibi aliquis modus  
 illius praedicamenti.

Nec procedunt instantiae. Prima siquidem non, nam pati est per materiam et per potentiam  
 730 secundum aspectum quo respicit subiectum, non tamen in quantum respicit constitutum;  
 imperfectionis etiam est in quantum aspicit formalem terminum, qui esse capit et originatur;  
 nullo autem istorum modorum competit vero Deo.

Secunda etiam non procedit, quia sancti et doctores non intelligunt quod substantia aut  
 relatio praedicamentalis locum habeat in divinīs, sed tantum<sup>102</sup> modus absolutus et non-  
 735 absolutus, qui appellatur relativus, sub quo continetur modus passionis et actionis, et<sup>103</sup>  
 relationis. Unde aliqualis ratio generationis activae et passivae relinquitur in divinīs.

Tertia etiam non obsistit, genitus enim tenetur ad reverentiam, quia in eo forma substantialis  
 capit esse per generationem in humanis, unde et per generantem reductus est de imperfecto ad  
 perfectum, accipiendo a generante esse formae suae, et doctrinam ac nutrimentum, et propter  
 740 hoc tenetur ad reverentiam. In divinīs autem<sup>104</sup> nullum est horum, quamvis dici posset quod et  
 Filius divinus honorem Patri impendit. Ad reverentiam enim pertinet quod omnia attribuit Patri,  
 dicendo “Mea doctrina non est mea”, Ioannes 7, et “Ego /Br 147vb/ gloriam meam non  
 quaero”, et “A me ipso non veni”, et multa similia. Unde et Hilarius dicit quod in Patre est  
 auctoritas, et in Filio subauctoritas.

745 Posset ergo ex istis concludi quod generari non repugnet vero Deo; si enim repugnaret, hoc  
 esset quia ponit quandam indignitatem et quandam modum passivum. Sed propter hoc non  
 repugnat, non enim per ipsum aliquid patitur subiective aut terminative, sed tantummodo  
 illative. Hoc autem non repugnat vero Deo, videlicet quod sit productus taliter quod deitas  
 producta non sit, sed productio sit illata, ut ex productione et ex deitate constituatur unus  
 750 simplicissimus productus. Igitur generari quasi passive non repugnat vero Deo. /X 326a/

### **Quod generari non inducat aliquam posterioritatem, nec excludat primitatem simpliciter.**

Non repugnat vero secundo quia<sup>105</sup> inducat posterioritatem et excludat primi principii  
 primitatem, si enim excluderet, repugnaret vero Deo, qui est ens primum et primum principium  
 755 simpliciter. Sed videretur quod immo generari poneret posterioritatem, saltem secundum  
 originem, prius enim et principium videntur esse idem. Unde omne principium est prius, ut patet  
 V *Metaphysicae*. Sed ubi est generare et generari, ibi generare est principium et generari  
 principiatum. Ergo ibi erit posterius et prius.

<sup>100</sup> <esse>] essentia Vb; esse BoBr

<sup>101</sup> terminetur] terminatur Br

<sup>102</sup> tantum] tantummodo Br

<sup>103</sup> actionis et om. Br

<sup>104</sup> autem] tamen Br

<sup>105</sup> secundo quia] Deo quod Br



Praeterea, omnis ordo attenditur penes prius et posterius. Sed Augustinus dicit *Contra*  
 760 *Maximianum* lib. III, cap. 15, quod intra generantem et genitum est ordo originis et<sup>106</sup> naturae.  
 Ergo erit ibi posterius et prius.

Praeterea, Augustinus I *De trinitate*, cap. 1, dicit quod nulla res se ipsam gignit, alioquin  
 idem esset prius se. Sed haec ratio non valeret nisi genitum esset posterius et generans esset  
 prius. Ergo in divinis **/Vb 171ra/** generari est quid posterius et Pater generans esset prior  
 765 secundum aliquem modum.

Praeterea, prius intelligitur Pater suppositum praehabens omnia, quae communicat Filio,  
 quam intelligatur generare. Sed hoc non esset nisi in aliquo signo prioritatis ipsum praecederet.  
 Ergo in aliquo signo originis Pater Filium praecedit.

Propter hoc<sup>107</sup> concedunt aliqui quod inter Patrem et Filium est prius et posterius, non quod  
 770 Filius sit posterior duratione aut tempore, nec quod sit posterior natura (quia non dependet Filius  
 a Patre, quin etiam e converso Pater dependeat a Filio, nec sunt alterius essentiae, nec primum  
 potest esse sine contradictione absque secundo, quae videntur esse tres condiciones prioritatis  
 naturae), nec etiam est posterior Filius secundum rationem (quia sunt simul naturali  
 intelligentia), sed tamen videtur esse posterior origine. Contradictio enim videtur quin  
 775 intellectus attribuat Patri primum signum in quo praehabeat quicquid communicat Filio, et in  
 Filio secundum signum in quo Pater sibi communicat quicquid habet ipsum producendo, ut sic  
 nunc aeternitatis dividi possit in duo signa. Sic igitur repugnaret, si Filius esset posterior natura  
 vel duratione, **/Br 148ra/** non repugnat autem si sit posterior origine.

Sed iste modus irrationalis est quantum ad hoc quod ponit prioritatem cui competat signum  
 780 in quo Pater praecedat; est enim intelligendum quod aliud est prius in quo, et aliud prius ex quo,  
 punctus enim non est prius in quo, sed ex quo incipit motus in linea. Et similiter sol est prius  
 splendore in quantum prius dicit habitudinem ex quo, et posterius dicit habitudinem eius, quod  
 ab alio. Prius autem in quo semper refertur ad aliquam mensuram, eo modo quo dicimus quod  
 aliquid est prius in loco vel prius in aliquo nunc. Sic igitur impossibile est quod Pater sit  
 785 principium et Filius principiatus, quin Pater sit prior et Filius posterior, accipiendo prius et  
 posterius primo modo, videlicet a quo aliud, <et><sup>108</sup> quod ab alio. Sed quod sit ibi prius in quo,  
 ita ut dicatur “in tali signo Pater praecedit Filium”, hoc est omnino impossibile. Quod **/X 326b/**  
 sic patet: impossibile est enim quod ab una habitudine fiat transitus ad aliam habitudinem sibi  
 repugnantem, et dato quod non repugnet, tamen si ab una alia inferatur, est fallacia figurae  
 790 dictionis. Sed habitudo a quo aliud et quod ab alio, sive a se et ab alio, non est eadem cum  
 habitudine in quo, non enim esse ab aliquo est esse in aliquo, nec esse a se et a quo aliud est  
 esse in. Ergo ex habitudine originis inferre signum in quo Pater Filium praecedat, est  
 committere fallaciam figurae dictionis.

Praeterea, ubi non est praecessio secundum aliquam mensuram, ibi non potest esse  
 795 praecessio secundum<sup>109</sup> signum vel in aliquo signo. Sed Pater Filium non praecedit secundum  
 aliquam mensuram durationis aut loci aut temporis. Ergo nihil est dictu quod Pater in aliquo  
 signo praecedat.

Praeterea, inter illa non est praecessio secundum aliquod signum, quorum unum non potest  
 capere intellectus in aliquo signo existere quin in eodem signo capiat reliquum coexistere. Sed  
 800 intellectus nullus in aliquo signo potest concipere Patrem existere quin in eodem intelligat  
 Filium coexistere, sed Patrem a se, Filium vero a Patre. Ergo inter Patrem et Filium non est  
 praecessio secundum signum.

Praeterea, cuicumque repugnat intelligi sub non-esse, ei repugnat esse posterius secundum  
 signum; quod enim est posterius secundum aliquod signum, in illo signo potest intelligi non  
 805 esse, si enim intelligeretur **/Vb 171rb/** esse, iam non esset posterius. Sed Filio repugnat intelligi

<sup>106</sup> originis et *om.* Br

<sup>107</sup> hoc] ergo *add.* Br

<sup>108</sup> <et> *om.* Vb; et BoBr

<sup>109</sup> secundum] aliquod *add.* Br

sub non-esse, iam enim non esset necesse esse, sed possibile, si posset intelligi sub non-esse<sup>110</sup>. Ergo Filius <non est><sup>111</sup> posterior Patre secundum aliquod signum.

Nec procedunt instantiae. Prima siquidem non, licet enim Pater sit prius quia principium, non tamen est prius secundum aliquod signum.

810 Secunda etiam non procedit, quia ubi est ordo, ibi est prius et posterius, non tamen propter hoc potest intelligi Pater in aliquo signo praecedere Filium; aliud enim est praecedere, aliud prius esse, praecedere enim videtur referri ad aliquam mensuram, prius autem esse solum importat habitudinem. Volunt tamen aliqui dicere quod inter Patrem et Filium est ordo absque priori et posteriori, quod videtur Augustinus innuere *Contra Maximianum*, lib. III, cum dicit  
815 quod inter Patrem et Filium est ordo, non quo unus sit prior alio, sed quo unus est ex alio. Sed istud stare non potest, quia de ratione principii videtur esse primitas et prioritas, et ideo melius est dicendum quod Pater non est prior Filio, intelligendo per ‘prioritatem’ aliquem ordinem, vel mensurae vel naturae, aut alicuius rei participatae secundum prius et posterius, sed quod ‘prius’ dicat ibi solam habitudinem ut a quo, non ut /Br 148rb/ in quo, isto enim modo idem est prius et  
820 principium. Sed quia ‘prius’ videtur importare ordinem<sup>112</sup>, propter hoc negat Augustinus quod unus [non]<sup>113</sup> est prior alio.

Tertia etiam non procedit, quia Augustinus, cum dicit quod idem non generat se quia esset prius se, non intendit nisi quod esset contradictio, pro eo quod idem esset a se et ab alio, et per consequens a se et non a se. Unde refert ‘prius’ ad esse a se.

825 Ultima etiam non procedit. Falsum est enim quod intellectus aliquod signum possit attribuere Patri, in quo sit prior Filio vel praecedat; in eodem enim intelligit Filium esse aut, /X 327a/ si intelligit sub non-esse, concipi<t><sup>114</sup> ipsum non necesse esse. Potest ergo ex his inferri quod generari non repugnet<sup>115</sup> vero Deo, si enim repugnaret, hoc esset quia excluderet primi principii primitatem. Hoc autem non excludit, quia non ponit aliquam posterioritatem, nec naturae nec  
830 durationis nec signi alicuius, ut dictum est. Ergo non repugnat vero Deo quod sit genitus.

Et si dicatur quod saltem ponit posterioritatem oppositam primitati principii, dicendum quod deitas non est principiata in Filio, licet<sup>116</sup> Filius sit principiatus; nunc autem Pater ratione deitatis est primum principium creaturae omnis, et idcirco esse primum principium creaturae omnis est commune Patri et Filio, nec ex hoc tollitur a Filio quia est generatus a Patre; tollitur tamen ab  
835 eo<sup>117</sup> primitas principii inter personas, hoc enim competit Patri qui est “fontana deitas” et “principium totius deitatis” secundum Dionysium. Vel dicendum quod forte prioritas, sicut et praecessio, non competit habitudini principii, quia videtur dicere ordinem in aliquo participato secundum prius et posterius, sive sit natura sive sit mensura illud participatum. Et secundum hoc simpliciter esset negandum quod Pater [non]<sup>118</sup> est prius Filio, licet sit principium Filii  
840 secundum illud Athanasii dicentis quod in hac trinitate nihil prius aut posterius; et ad hoc aspexit Augustinus, cum dixit quod ibi est ordo quo unus est ex alio, non quo unus est prior alio.

**Quod generari non excludat necessitatem, nec ponat contingentiam.** Non repugnat quoque tertio quod generari excludat necessitatem et ponat contingentiam, quamvis videretur ex hoc  
845 quod supra dictum est /Vb 171va/ in quaestione de immutabilitate. Dictum est enim ibi quod contradictio est ponere aliquid necessarium ex se et quod ab alio habeat esse; ergo repugnat Filio quod sit necesse esse, si generatus est, et per consequens generari excludit necessitatem.

Sed hoc non obstante dicendum est quod non excludit, illud enim est necesse esse formaliter, cuius quiditativa ratio non abstrahit ab esse, immo per eam potest demonstrative inferri esse, ita  
850 quod repugnat sibi non esse ex sua definitiva ratione; ea enim quae sic competunt alicui,

<sup>110</sup> iam enim . . . esse om. Br

<sup>111</sup> <non est> om. Vb; non est BoBr

<sup>112</sup> ordinem] in aliquo participato add. Br

<sup>113</sup> [non] ] non BoBrVb

<sup>114</sup> concipit] concipi\* Vb; concipit BoBr

<sup>115</sup> repugnet] repugnat Br

<sup>116</sup> licet] sed Br

<sup>117</sup> ab eo] a Deo Br

<sup>118</sup> [non] ] non BoBrVb

dicuntur sibi competere necessitate formali, sicut<sup>119</sup> triangulo competit habere tres, et sic de aliis necessariis formaliter. Sed constat quod ex ratione quiditativa generari in Deo existentis potest demonstrative inferri actualis ipsius existentia, ita quod non existere repugnat sibi secundum definitivam rationem. De ratione quidem et conceptibilitate passivae generationis est generare  
 855 divinum, impossibile est enim concipi generari absque generare, et e converso. Certum est autem quod generare est determinatum ad esse se ipso, et eadem necessitate determinat /Br  
 148va/ generari ad esse, et ita generari ex sua quiditativa ratione determinatur ad esse et potest demonstrari esse et repugnat sibi non esse. Adhuc impossibile est concipi proprietates sine  
 860 Deitati autem repugnat non esse; repugnabit itaque generationi passivae non esse ex suo formali conceptu. Ergo relinquatur quod sit necesse esse.

Ex quibus patet quod nullum absolutum potest esse formaliter necessarium, et tamen ab alio productum, in definitione enim illius ex quo est absolutum, non cadit illud quod determinaret ipsum ad esse, et ita non repugnaret sibi non esse, secundum definitivam rationem, propter quod  
 865 esset possibile non esse, considerata sua forma et sua natura. Unde potest convinci quod Philosophus non posuit\*<sup>120</sup> intelligentias productas, ex quo tenuit quod earum naturae repugnabat non esse. Similiter etiam<sup>121</sup> nullus respectus potest esse simpliciter necessarius et productus in aliena substantia a deitate; quamvis enim determinaretur ad esse ex alio respectu qui clauderetur in sua definitione quasi extrinsece (sicut in conceptu generari clauditur  
 870 generare), nihilominus non determinaretur ex intimis sui conceptus, sicut determinatur generari ex deitate, quae est de conceptibilitate intima et intrinseca eiusdem generari.

Et per hoc patet responsio ad obiectum, quia non repugnat Filio generari, et cum hoc habere necessitatem essendi ex sua formali ratione; repugnaret autem cuilibet absoluto. Ex hoc etiam videri potest quod superius dicebatur, videlicet quod nullum possibile non esse producitur  
 875 necessitate naturae, ita quod habeat necessitatem ab alio, omne enim productum necessitate naturae necessarium est; nullum autem absolutum, si sit productum, necessarium est, et per consequens<sup>122</sup> nullum absolutum producitur necessitate naturae. Apparet etiam quod Filius non esset formaliter necesse esse quantumcumque productio foret intra eandem essentiam, nisi deitas esset de conceptu ipsius generari sic quod generari sine deitate concipi non posset, nec e  
 880 converso. Potest ergo probari quod vero Deo non repugnet<sup>123</sup> quod generetur, si enim repugnaret, hoc esset quia contingentiam poneret, et necessitatem excluderet. Hoc autem non facit, sicut iam dictum est. Igitur /Vb 171vb/ non repugnat.

**Quod generari non ponat naturae diversitatem.** Non repugnat etiam quarto, quia ponat  
 885 diversitatem in essentia aut in aliquo absoluto, quamvis ita videretur, pro eo quod generatio terminatur ad aliquid absolutum. Haec tamen verum est in omni generatione excepta intellectuali, qua verbum paritur et res gignitur in esse apparenti et obiectali, in ista autem generatione, non est verum quod acquiratur aliquid absolutum, sed quod totum absolutum capit aliud esse subsistens et relativum. Rosae enim quae existunt extra, dum ponuntur per  
 890 intellectum, una rosa simpliciter non acquirit aliquid absolutum, sed tantum esse apparens. Similiter et mens cum se ipsam conduplicat, ponendo se conspicuam ante se secundum Augustinum, constat quod solum differt penes ponere et poni, et non differt in aliquo absoluto, alias non conspiceret penitus se, sed aliquid aliud, quod non est verum. Simili modo itaque in divinis: dum Pater positione reali dicit quicquid est in se, necessario dicens et dictus, ponens et  
 895 positus, generans et genitus idem sunt in omnibus absolutis, differentes in solo dicere et dici<sup>124</sup>, generare et generari. Et quia haec positio /Br 148vb/ est realis, necesse /X 328a/ est quod distingua<n>tur<sup>125</sup> realiter, et tamen non in aliquo absoluto.

<sup>119</sup> sicut] sic Br

<sup>120</sup> posuit] ponit Br

<sup>121</sup> etiam] et Br

<sup>122</sup> consequens om. Br

<sup>123</sup> repugnet] repugnat Br

<sup>124</sup> dici] et add. Br

<sup>125</sup> distingua<n>tur] distinguatur Vb; distinguantur BoBr

Ratio vero propter quam mentalis generatio potest esse et intentionalis et realis absque distinctione in aliquo absoluto reali vel intentionali, <haec><sup>126</sup> est quod ipsum generari seu dici  
 900 non est aliud quam esse quod res capit per dictionem seu generationem mentalem; non capit enim nisi esse apparens. Apparitio autem passiva infertur ab apparitione activa, absque hoc quod acquiratur aliud absolutum, nisi quod totum id quod ante praeexistebat ponitur ut apparens. Tale autem sic positum non componitur ex apparitione et ex priori absoluto, sed utrumque fit unum simplicissimum constitutum; res enim posita in esse apparenti non  
 905 distinguitur ab esse apparenti, nec e converso. Si igitur ista apparitio sit tantum intentionalis, res quae capit tale esse non acquirit aliquid absolutum, et tamen cum hoc sit<sup>127</sup> aliud suppositum intentionale per solam acquisitionem esse apparentis. Si autem talis apparitio sit realis, quemadmodum est<sup>128</sup> in divinis, ut infra dicetur, nihil etiam acquireretur absolutum per tale esse, sed tantum esse ad aliud, videlicet esse dictum seu genitum, et apparens. Et ex hoc patet, quod  
 910 superius dictum fuit, generari in divinis non terminari ad aliquid quod esse capiat, nisi per modum constituti.

Potest ergo ex his inferri quod generari non repugnet<sup>129</sup> vero Deo, si enim repugnaret, hoc esset forsitan quia generare et generari arguerent in Deo differentiam absolutam et separationem substantiae; hoc autem non arguunt, nec causant, ut probatum est. Et experimentaliter patet in  
 915 omni generatione verbi quod verbum mentale non differt ab ea re de qua formatur penes aliquid absolutum, verbum enim formatum de rosa non differt a rosa, nec formatum de lapide differt a lapide in aliquo absoluto, sed tantum in hoc quod est habere esse apparens et formatum mentaliter. Ergo Deus conceptus et Deus concipiens non distinguuntur in aliquo absoluto, sed tantummodo in concipi et concipere, et per consequens vero Deo generari et concipi non  
 920 repugnat.

**Quod generari non ponat<sup>130</sup> dependentiam.** Non repugnat autem quinto, quia generari ponat dependentiam geniti ad generantem, quamvis /Vb 172ra/ videretur ex hoc quod vero Deo repugnat ab aliquo<sup>131</sup> dependere. Constat autem quod genitum a generante dependet. Ergo vero  
 925 Deo repugnare videtur quod generatus sit.

Videtur quidem aliquibus quod haec difficultas sufficienter tollatur dicendo quod inter Patrem et Filium est dependentia mutua. Sed sine dubio hoc non tollit, quia dependentia, sive solitaria sive mutua, vero Deo repugnat. Propter quod dicendum quod dependentia et mutua coexigentia sunt aliae relationes, et aliae habitudines. Dependentia namque est idem quod  
 930 passiva manutenentia, qua creaturae tenentur in esse per tentionem Dei activam; quae quidem tentio non est proprie relatio, sed est de genere actionis et est alia a creatione, sicut alia actio est lapidem levare in aere, et levatum ibi tenere. Sed de hoc erit sermo amplior, in secundo. Quia igitur Filius non conservatur /X 328b/ a Patre nec manutenetur ab eo, sed producitur productione necessaria et aeterna, dici non potest quod dependeat ab ipso, sed quod est ab ipso;  
 935 inter ambos autem<sup>132</sup> est mutua coexigentia ad essendum. Generare namque, per quod constituitur /Br 149ra/ Pater, non existit nisi inferat generari, nec generari nisi inferatur a generare, immo generare non est aliud quam illatio<sup>133</sup> generari, nec generari est aliud quam illatio ab ipso generare.

Potest ergo inferri quod generari non repugnet vero Deo, quia si repugnaret, hoc esset  
 940 propter dependentiam quam poneret circa Deum. Sed nullam ponit, ut dictum est. Igitur id quod prius.

<sup>126</sup> <haec>] hoc Vb; haec Br; om. Bo

<sup>127</sup> sit] fit Br

<sup>128</sup> est om. Br

<sup>129</sup> repugnet] repugnat Br

<sup>130</sup> ponat] ponit Br

<sup>131</sup> ab aliquo om. Br

<sup>132</sup> autem] aut Br

<sup>133</sup> illatio] illud Br

**Quod generari non inducat**<sup>134</sup> **novitatem.** Non demum repugnat quia<sup>135</sup> generari inducat aliquam novitatem, in hoc enim fuit error Arrii, contra quem procedit Magister in littera ex  
 945 verbis<sup>136</sup> Ambrosii et Augustini. Potest autem haec veritas brevi medio declarari. Productio siquidem non elicit nec esse capiens aliunde, de necessitate extitit ab aeterno. Sed probatum est supra quod generare in Deo non est aliquid elicatum nec entitatem capiens aliunde, immo est a se. Ergo est aeternum, et immutabile ac necessarium. Impossibile est autem generare esse aut intelligi quin sit generari et intelligatur; generari itaque Filii nullam novitatem ponit.  
 950 Et confirmatur, quia non impeditur aeternitas generationis, nisi vel ex parte agentis, quia non habet virtutem completam quae requiritur ad agendum; vel ex parte mo<t>i<sup>137</sup>, quia producit per motum vel per liberum arbitrium, et ita indiget tempore ad movendum seu ad deliberandum; vel ex parte passi, quia non adest materia, vel si adest, non est tamen disposita. Istorum autem quantum nullum impedit quin Filii generatio sit aeterna, Pater enim perfectissimus est ab  
 955 aeterno, est autem actu Pater per actum generationis; non produxit autem deliberando, vel per motum, non produxit etiam ex materia, ut declaratum est supra. Igitur generari nullam novitatem ponit in Deo, et ita sibi non repugnat; nec apparet aliquid aliud quod debeat obviare. Propter quod passiva generatio catholice ponitur in divinis, et activa similiter, iuxta illud Prophetarum: in splendoribus sanctorum ex utero ante Luciferum genui te.  
 960 Et in<sup>138</sup> hoc tertius articulus terminetur.

### Articulus Quartus

**An probari possit quod generatio sit in Deo, et ostenditur quod non sunt efficaces rationes superius positae arguendo. /Vb 172rb/** Circa quartum autem<sup>139</sup> considerandum quod rationes  
 965 superius inductae in principio quaestionis ad probandum quod generatio sit in Deo, omnes quidem videntur supponere aliquid, quod tamen verum non est in divinis. Ut illa ratio quae procedit ex hoc quod memoria est principium productivum in Deo, supponit quod generare sit aliquid elicatum, cuius oppositum probatum est supra; et illa quae dicit /X 329a/ quod in Deo debet esse perfecta generatio in summo assimilans generatum<sup>140</sup> generanti, supponit quod  
 970 generatio in divinis habeat pro termino formali divinam essentiam. Et illa quae procedit ex hoc quod Deus est lux incorporea, est mystica, et procedens per metaphoram luminis; talia autem argumenta sunt magis rhetorica vel poetica quam philosophica, ut patet ex III *Rhetoricae*. Et illa quae procedit ex hoc quod Deus aliis tribuit generare, aequivocat de generatione divina, loquitur enim Isaias de filiis Israel, qui quodam<sup>141</sup> peculiari modo dicuntur Dei filii ab eo generati, iuxta  
 975 illud eiusdem: “Filiis enutrivit et exaltavit”. Et illa quae procedit ex hoc quod generare est signum perfectionis, vel quae procedit ex hoc quod productio naturalis seu necessaria est maioris perfectionis, /Br 149rb/ omnes istae patiuntur instantiam in angelis, qui sunt inter omnia creata excellentiae potioris, et nihilominus non generant, nec necessitate naturae aliquid agunt aut producunt. Illa etiam quae procedit ex hoc quod contingentia imperfectionem dicit in  
 980 principio productivo supponit quod in Deo<sup>142</sup> sit principium productivum. Unde patet quod rationes illae et similes non sunt efficaces ad probandum quod sit generatio in divinis.

**Via vera et sanctorum ad probandum generationem esse in Deo**<sup>143</sup>. Propterea dicendum quod non est alia via ad probandum efficaciter generationem in Deo, nisi via qua procedit  
 985 Augustinus et Anselmus et alii sancti doctores, quae sumitur ex emanatione intellectuali; illud enim quod de necessitate exigit vera intellectio, attribui debet Deo, semota omni imperfectione. Deus quidem vere intelligens est, propter quod nihil sibi deest ex his, quae spectant ad rationem

<sup>134</sup> inducat] ponat Br

<sup>135</sup> demum repugnat quia] repugnat demum quod Br

<sup>136</sup> verbis] verbo Br

<sup>137</sup> mo<t>i] modi Vb; ? Br; moti\* Bo

<sup>138</sup> in om. Br

<sup>139</sup> autem om. Br

<sup>140</sup> generatum] genitum Br

<sup>141</sup> quodam] quidam Br

<sup>142</sup> in Deo] aliquid Br

<sup>143</sup> Deo] divinis Br

verae intellectionis, cum etiam perfectissimus sit, necesse est ut omnis imperfectio tollatur. Sed constat quod in omni vera intellectione obiectum cognitum capit esse apparens, in nobis autem  
 990 et in omni creato illa apparentia imperfecta est, utpote quia intentionalis et deminuta. Hoc autem apparet superius multis viis, et quilibet sic experitur quod in<sup>144</sup> intelligendo quamcumque rem, illam intra se concipit, format, et gignit. Ergo et Deus intelligendo se, vere formabit et gignet sui similitudinem, ponendo totum Deum in esse apparenti et formato, amota tamen imperfectione intentionalitatis, et posita perfectione reali. Relinquitur ergo quod Deus vere et realiter  
 995 generavit, si se ipsum veraciter intellexit.

Haec autem est via qua graditur Augustinus ubique in libro *De trinitate*, et expresse in libro *De cognitione verae vitae*, responsione 19, dicens cum mens se ipsam cogitat, quasi aliam mentem sibi similem generat, sic summus Deus, cum se ipsum talem, qualis est cogitavit, procul dubio similem sibi per omnia imaginem generavit, et sic gignens iure Pater vocatur, ita  
 1000 rectissime genitus Filius nominatur. /Vb 172va/ Haec Augustinus. Unde patet qualiter arguit modo praedicto.

Hac quoque via procedit Anselmus, *Monologion*, 10<sup>145</sup> cap., dicens quod tripliciter rem unam loqui possumus: aut enim rem loquimur signis sensibilibus<sup>146</sup> /X 329b/, aut eadem significata intra nos insensibiliter cogitamus, aut nec sensibiliter nec insensibiliter signis utendo, sed res  
 1005 ipsas intus dicendo. Et subdit exemplificando quod aliter dico hominem, cum eum hoc nomine 'homo' significo<sup>147</sup>, aliter cum idem nomen tacens cogito, aliter cum ipsummet hominem mens intuetur. Et subdit quod verba tertiae locutionis naturalia sunt, et apud omnes gentes eadem et omnia alia verba inventa sunt propter illa, et nullum aliud verbum est necessarium ad rem cognoscendam. Nullum enim verbum sic rem exprimit sicut illa similitudo quae in acie mentis  
 1010 cogitantis rem ipsam exprimit, illud igitur iure<sup>148</sup> dicendum est maxime proprie et principale rei verbum; quapropter si nulla de qualibet re locutio tantum rei appropinquat, quantum illa quae huiusmodi verbis constat, non immerito videri potest apud summam substantiam talem rerum locutionem fuisse, antequam essent, ut per eam fierent, et esse<sup>149</sup> cum facta sunt, cum<sup>150</sup> per eam sciantur. Et subdit quod constat summam substantiam, prius quam conderet in se dixisse,  
 1015 cunctam creaturam secundum locutionem ultimam, quemadmodum faber prius mente concipit\* /Br 149va/ quod postea secundum mentis conceptionem opus perficit. Haec Anselmus. Unde patet quod ista via procedit, et similiter cap. 33, et frequenter in toto libro.

**Instantiae contra praedictam rationem.** Sed ista ratio nullius videtur esse momenti, nulla  
 1020 enim operatio immanens videtur esse productiva alicuius operati, ut Philosophus dicit IX *Metaphysicae*; et I *Ethicorum* dicit quod tales operationes sunt fines, unde ex ipsis non sequitur aliud operatum. Sed intelligere est operatio immanens, sicut et videre, ut Philosophus dicit eodem IX *Metaphysicae*. Ergo videtur quod per intellectionem nihil emanet in divinis.

Praeterea, quando aliqua sunt penitus unum et idem, nihil causatur per unum, quod non  
 1025 causetur per aliud. Sed velle et intelligere sunt unica et simplicissima operatio in Deo. Ergo non<sup>151</sup> producitur plus Verbum per intelligere quam per velle.

Praeterea, non minus<sup>152</sup> intelligit Filius vel Spiritus Sanctus quam Pater. Sed Filius et Spiritus Sanctus<sup>153</sup> non producunt verbum intelligendo. Ergo non est de ratione intellectionis quod aliquid producat.

1030 Praeterea, apparentia et res opponuntur, apparentia enim rei<sup>154</sup> non est res. Sed Verbum in divinis est aliquid reale. Ergo non emanat per modum Dei positi in esse apparenti per actum intellectus.

<sup>144</sup> in] *om.* Br; in BoVb

<sup>145</sup> 10] 90 Br

<sup>146</sup> sensibilibus] signibilibus Br

<sup>147</sup> 'homo' significo] homine significato Br

<sup>148</sup> iure *om.* Br

<sup>149</sup> esse *om.* Br

<sup>150</sup> cum] ut Br

<sup>151</sup> non] res Br

<sup>152</sup> minus] unus Br

<sup>153</sup> Sanctus *om.* Br

Praeterea, quodcumque competit alicui secundum suam rationem ut producat in esse intentionali aut rationis, nullo modo potest sibi competere ut producat in esse reali. Sed de ratione intellectionis est quod res cognita emanet<sup>155</sup> tantum in esse intentionali. Ergo non potest competere divinae intellectioni ut per eam emanet<sup>156</sup> aliquid in esse reali.

Praeterea, si Verbum in divinis non est aliud quam Deus positus in esse obiectali et cognito, ergo nihil est cognitum in divinis nisi Verbum. Pater igitur non est cognitus, nec Spiritus Sanctus. /X 330a/ Hoc autem est absonum. Igitur et quod Verbum sit Deus positus in esse obiectali et cognito.

**Solutio ad instantias**<sup>157</sup>. Sed istis non obstantibus dicendum est sicut prius. Per istam enim /Vb 172vb/ viam demonstrative probatur quod in divinis est generatio, et Deus genitus saltem in esse intentionali. Quod enim realis sit ista generatio, licet efficaciter concludatur, pro eo quod ad perfectionem generationis<sup>158</sup> pertinet quod sit realis, entia enim realia perfecta sunt, sed<sup>159</sup> intentionalia deminuta; nihilominus non est adeo patens demonstratio, quin posset<sup>160</sup> calumniari. Unde nec aliquis ascendisset ad istam veritatem, nisi fuisset primitus revelata.

Praedictae vero instantiae non procedunt. Prima siquidem non, quoniam intelligere respectu obiecti apparentis et relucentis sibi habet duplicem habitudinem, ut superius dicebatur, scilicet habitudinem formantis, quia virtute eius res apparet et lucet obiective, et habitudinem terminantis, quoniam res sibi lucet et apparet. Formare autem non est proprie intelligere, facere enim rem apparere alteri<sup>161</sup> et non sibi non esset intelligere, rem autem apparere sibi est proprie rem intelligere. Est autem attendendum quod, licet istae duae habitudines non sint eadem, nihilominus debentur eidem absoluto, videlicet actui intellectus, in quantum claudit potentiam et similitudinem rei. Cum ergo dicitur quod intelligere est operatio immanens, dicendum quod verum est sub ratione qua est intellectio, cum non sit aliud intelligere quam sibi rem apparere; /Br 149vb/ non tamen verum est quin illud absolutum cui res apparent sit id cuius virtute res habeat quod luceat et appareat; et ita eadem res dici potest 'intelligere', et ut sic est actus immanens et omnino non transiens, et eadem res dici potest 'formatio' sive 'locutio', in quantum virtute eius habet res quod appareat obiective. Et haec est mens Philosophi, dum dicit istas operationes non esse transeuntes. Nec est putandum, sicut aliqui voluerunt<sup>162</sup>, quod intelligere non sit aliud quam habere quandam qualitatem absolutam, sicut lucere est lucem habere. Hoc quidem verum non est, quia tales actus qualitativi non transeunt obiective, non enim dicitur 'luceo te' sicut 'intelligo te'; propter quod intellectio non est absolutae formae habitio, sed obiecti apparentis habitio, et recollectio secundum esse apparens; hoc autem habere, non est in aliud transire. Propter quod intelligere non est operatio transiens secundum suum formale, facere tamen rem apparere est actio transiens, est enim verbum formare.

Secunda etiam non procedit, quia licet intelligere et velle idem sint et<sup>163</sup> re et ratione in divinis, differentia tantum penes connotatum; dicere tamen et spirare non sunt idem, quia dicere non est aliud quam facere res apparere, spirare vero est facere spiritum egredi et exire.

Tertia quoque non obviat, licet enim Pater et Filius et Spiritus Sanctus per rationem deitatis recolligant Verbum sub ratione apparentis, non tamen virtute deitatis<sup>164</sup> emanat Verbum ut est in tribus. Unde facere apparere constituit /X 330b/ personam Patris, sicut ipsum apparere constituit personam Filii; commune est autem tribus intelligere, hoc est obiective recipere, non tamen dicere seu obiectum formare.

<sup>154</sup> rei *om.* Br

<sup>155</sup> emanet] emanat Br

<sup>156</sup> emanet] emanat Br

<sup>157</sup> instantias] instantiam Br

<sup>158</sup> generationis *om.* Br

<sup>159</sup> sed] et Br

<sup>160</sup> posset *om.* Br

<sup>161</sup> alteri] alicui Br

<sup>162</sup> voluerunt] volunt Br

<sup>163</sup> et *om.* Br

<sup>164</sup> deitatis] Dei Br

Quarta etiam non obsistit, est enim considerandum quod omni relationi<sup>165</sup> reali potest reperiri consimilis relatio secundum rationem; videmus enim quod dextrum et sinistrum sunt reales relationes in animali, cum autem attribuuntur columnae, sunt secundum rationem; similiter dominium prout est in creatura, est relatio realis, prout autem est in Deo, est relatio rationis. Et  
 1080 consimiliter per oppositum habitudo quiditatis ad **/Vb 173ra/** suppositum in creatura est secundum rationem, humanitas enim respicit habens humanitatem, tamquam idem realiter, sed distinctum conceptibiliter; in Christo autem humanitas respicit suppositum sub habitudine quiditativa et reali, et ita quiditativa habitudo, quae secundum rationem est in omni<sup>166</sup> homine, in Christo est secundum rem et realis.

1085 Ad propositum itaque apparentia et<sup>167</sup> esse formatum quod recipit obiectum cognitum per actum intellectus creati, est apparentia deminuta et secundum rationem, cum intentionalis sit tantum. Omne autem deminutum arguit aliquod perfectum, quare non est irrationale, immo summe conveniens, quod alibi<sup>168</sup> reperiatur talis apparentia vere realis et perfecta; non est autem aequae conveniens alibi reperiri quam in Deo. Unde necesse est quod obiectum intellectus divini  
 1090 procedat in esse reali, cuius apparentia et relucencia sit aliquid vere reale.

Quod ergo dicitur quod apparentia et res opponuntur, sive veritas et apparentia, dicendum quod aliquando<sup>169</sup> 'apparentia' sumitur pro 'fictione', et tunc apparentia opponitur veritati et realitati; aliquando vero pro 'relucencia', et tunc potest esse vera et realis; in nobis itaque res habent apparentiam, quia non sunt nisi secundum esse **/Br 150ra/** fictum obiective, unde relucencia quadam relucencia non reali; in Deo vero Verbum est Deus relucens vera relucencia et reali. De ratione enim verbi est quod intus luceat, sicut XV *De trinitate*, cap. 12, dicit Augustinus. Vel dicendum quod apparentia, licet non sit res cuius est apparentia in se, tamen potest esse verissima res; Verbum autem in divinis est relucencia et imago Dei Patris, propter quod in se res est, non tamen est Deus Pater. Et adhuc dicendum quod relucencia et apparentia  
 1100 est idem realiter cum re cuius est apparentia quantum ad omne absolutum, addit tamen aliquid respectivum quod quidem potest esse reale, sicut in Deo, et intentionale, sicut in nobis.

Quinta etiam non procedit, quamvis enim actui intellectus, ubi est deminutus, competat ut obiectum formet in esse intentionali, ubi tamen est perfectissimus, ut in Deo, sibi competit ut faciat realiter relucere; unde intellectui, prout abstrahit et est quid commune Deo et creaturis,  
 1105 competit obiectum formare et ponere in esse relucenci, qui quidem ponet in tali esse realiter, prout ad Deum applicabitur, sed ut specificabitur ad nos ponet in esse deminuto.

Sexta etiam non concludit, est enim sciendum quod res extra dicuntur intelligi, pro eo quod **/X 331a/** de eis colligitur conceptus obiectivus in mente; esse autem obiectivum et apparens non est idem cum esse extra relative, quamvis sit idem absolute, quia res est eadem quae habet esse  
 1110 apparens in intellectu et reale extra. Sic igitur aliter res extra dicuntur intelligi et esse obiectum intellectus, et aliter eadem res prout habent esse apparens; sic enim res prout sunt extra dicuntur intelligi quod earum esse extra non est esse intellectum vel esse obiectale, prout autem habent esse in intellectu, sic dicuntur intelligi quod esse earum, ut sic non est aliud quam esse intellectum et obiectivum.

1115 Ad propositum ergo Pater<sup>170</sup> et Spiritus Sanctus et omnia quae sunt in Deo dicuntur esse cognita et obiecta intelligibilia eo modo quo res extra; quia esse Patris et Spiritus Sancti non est esse obiectale seu esse formatum, solus autem Filius dicitur Deus cognitus, quia esse eius, in quantum Verbum et Filius, non est aliud quam esse relucens et conspicuum, prout de anima, XIV *De trinitate*, loquitur Augustinus quod se ipsam ponit conspicuam ante se. Ista tamen  
 1120 conspiciuitas et relucencia est vere <realis><sup>171</sup> in Deo Verbo. Et est exemplum ad **/Vb 173rb/** hoc de mente se ipsam conducitante per actum intellectus; licet enim se intelligat, et prout est in se

<sup>165</sup> relationi] relatione Br

<sup>166</sup> omni *om.* Br

<sup>167</sup> et] ad Br

<sup>168</sup> alibi] alicubi Br

<sup>169</sup> aliquando] aliter Br

<sup>170</sup> Pater] et Filius *add.* Br

<sup>171</sup> <realis>] realiter Vb; realis BoBr



et prout est conspicua ante se, nihilominus esse conspicuum et obiectale non habet prout est in se.

Patet igitur, cum istae instantiae non procedant, quod efficax est ratio praeassumpta.

1125 Et in hoc articulus quartus finitur.

### Responsio ad<sup>172</sup> obiecta.

Ad ea ergo quae superius in oppositum<sup>173</sup> inducuntur dicendum est. Ad primum quidem quod generare verbum est quidam actus pertinens ad perfectionem per modum praevis ad intellectionem; impossibile est enim quod aliquid recipiat relucentiam obiectivam, nisi  
1130 relucentia illa virtute intellectus formetur. Et quod dicitur de sole, et anima intellectiva, et angelis, quod non generant, dicendum quod anima et angelus generant isto modo, /Br 150rb/ dicunt enim intra se verbum.

Ad secundum dicendum quod generatio verbi nec in nobis nec in Deo est mutatio, sed  
1135 emanatio simplex.

Ad tertium dicendum quod per generationem verbi non capit aliqua substantia esse, nec in nobis nec in Deo, nisi accipiatur ‘substantia’ pro ‘supposito’. Verbum enim in nobis est intentionale suppositum, rosa enim intelligitur per modum subsistentis, capit ergo per generationem verbi substantia; non quod sit substantia, sed quod sit per modum relucentis et  
1140 apparentis, relucentia siquidem intentionali in nobis, reali vero in Deo.

Ad quartum dicendum quod generans et genitum in generatione verbi sunt penitus idem quantum ad omne<sup>174</sup> absolutum, ut declaratum est in corpore quaestionis.

Ad quintum dicendum quod generatio non transfertur a creaturis in Deum, immo per prius est in Deo secundum Damascenum, et inde derivatur ad creaturas intellectuales, sed modo /X  
1145 331b/ deminuto, quia non generant verbum reale, sed intentionale tantum.

Ad sextum dicendum quod Filius genitus non generat aliud verbum nec hoc sibi communicatur; sicut enim intellectio est infinita et tota subsistens, sic est verbum secundum suam rationem totaliter subsistens; et similiter tota ratio dictionis et generationis infinita est et subsistens<sup>175</sup> simpliciter, propter quod plurificari non potest. Unde non potest esse nisi unus  
1150 Filius; nec Verbi formatio, nisi una quae est tota simpliciter. Propter quod genitus generari non potest.

Ad ultimum dicendum quod verbi generatio non datur ad conservationem speciei, sed ad completionem intellectionis, in quantum non est aliud intelligere quam verbum sibi relucens habere; generatio vero quae datur ad conservationem speciei corruptibilibus creaturis, illa non  
1155 est in Deo, nec ratio illius.

<sup>172</sup> ad] primo *add.* Br

<sup>173</sup> in oppositum *om.* Br

<sup>174</sup> omne] esse Br

<sup>175</sup> subsistens] est *add.* Br